


BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
35 MA
1



Coll. Rom. Soc. Jesu
B. S.

SANCTORVM
QVINQVAGINTA
IVRIS-PERITORVM
ELOGIA.

Contra populare commentum, DE SOLO IVONE. publicata.

A R. P. IOHANNE ROBERTI, Societatis IESV Doct. Theol.





LEODII,
Typis Ioannis Ouwerx Typographi Suæ Celsitudinis iurati, 1632. +
Superiorum permissu.

Emblematis capiti præfixi explanatio.

ESſe quis paucos numerare dicet
Iuris, & Legum proceres, beati
Incolas cœli, quaſi ſolus ſuo
Sidera tangat?
Cerne quæ gentis ſeries togatæ,
Quanta ſe tollit pia multitudo
Iura dictantum, numerumque diuum altaribus auget?
E ſacris illos, reprobante nullo,
Euocat cœli tabulis ROBERTI,
Diſsidens plebi, populumque falſis
Dedocet vti
Vocibus; tuti diadema regni
Deferens illis, ſtabilemque laurum,
Quos apud recto ſtudium forenſe
Splenduit vſu.
Eſt iter cœlo, dubitate nulli,
Eſt ab hac merces etiam Paleſtra,
Nulla ſi Iuris ſibi peierati
Conſcia mens eſt.
Viuit æternis decorata faſtis
Multa ciuiles meditata curas

Turba, quam pennâ metuente ſolui
Fama reſeruat.
Multa pars, eſto, meliora ſectans
Fertur ex illis abijſſe caſtris:
Iuris hanc prudentia ſanctitatem
Ipſa parabat.
Hæc tot heroüm grauibus coëgit
Infulis doctas radiare frontes,
Hæc FLERONTINVM pariter ſacratis
Admouet Aris.
Illa ſinceros ſpeculata ductus,
Pandit incertæ ſcopulos carinæ,
Dat facem, ne quis per iniqua ponti
Deuius erret.
Cerne Delphinas proceres natantum,
Inter aſſultus maris æſtuoſi
Ire ſecuros, rabiemque ſæui
Spernere ponti.
Quæ magis triſtes miſerata caſus
Gens opem præſtat pelagi ruinis?
Quævè ſic nautis aperire tutos
Callida portus?
Hunc gubernator malè ſæpè vaſto
Prenſus Aegeo, ſequitur natantem,
Cum latet cœlum, neque certa ducunt
Sidera puppim.

Naufra-

Naufragum pando ſubit ille dorſo,
E ſuâ quem ſors pepulit carinâ,
Ipſe iam vector, ſimul ipſe nauta,
Ipſe Phaſelus.
Ite ſacratæ pugiles Themiſtæ,
Fluctibus diri maris expedite
Conſilî expertes, faciente nullos
Munere queſtus.
Sic beatorum populo quiritum
Eſte conſcripti, vice ſportularum,
Ampla ſic vobis veniant ab vno
Præmia cœlo.

HENRICVS D'OVPEY
I. V. Licent. Aduocatus.

LICENTIA ADMODVM R. D. VICARII GENERALIS.

ELogia quinquaginta Sanctorum Iurisperitorum, Auctore Reuerendo admodum Patre IOHANNE ROBERTI Societatis IESV Sacerdote, sacræque Theologiæ Doctore, vtili studio è monumentis antiquitatis desumpta, nihil continent, quod possit aduersari bonis moribus aut Fidei Catholicæ. Datum in ædibus nostris claustralibus hac 7. Februarij 1632.

IOANNES A CHOKIER,
Canonicus & Vicarius
Generalis Leod.

AD-

ADMODVM REVERENDO,
& multum Illuſtri Domino,

D. ADRIANO DE FLERON,

Canonico Leodienſi,

PRAEPOSITO MALBODIENSI,

Protonotario Apoſtolico,

IVRIS VTRIVSQVE DOCTORI.

HEROAS *iſtos Quinquagenos Tibi offero,* ADRIANE, *quos non potes non amare, ſi* DEVM, *& Te ſecundum* DEVM *amas: non potes non revereri, ſi Tuam Profeßionem revereris. Quippe &* DEO *pleni ſunt, & quos iure dixeris* Θεοφόρους: *& Tibi viam praeunt, quâ ire pergas, quò cœpiſti, non ficto nomine* Anteceſſores, *ſiue* προηγούμενοι.

Sunt iſti veri IVRIS SACERDOTES, *veri Philoſophi,* Philoſophiam non ſimulatam, *vt Imperator loquitur,* affectantes: *non vt*

LICENTIA ADMODVM R. D. VICARII GENERALIS.

ELogia quinquaginta Sanctorum Iurisperitorum, Auctore Reuerendo admodum Patre IOHANNE ROBERTI Societatis IESV Sacerdote, sacræque Theologiæ Doctore, vtili studio è monumentis antiquitatis desumpta, nihil continent, quod posſit aduersari bonis moribus aut Fidei Catholicæ. Datum in ædibus nostris claustralibus hac 7. Februarij 1632.

IOANNES A CHOKIER,
Canonicus & Vicarius Generalis Leod.

AD-

ADMODVM REVERENDO, & multum Illustri Domino,

D. ADRIANO DE FLERON,

Canonico Leodiensi,

PRAEPOSITO MALBODIENSI,

Protonotario Apostolico,

IVRIS VTRIVSQVE DOCTORI.

HEROAS *istos Quinquagenos Tibi offero,* ADRIANE, *quos non potes non amare, si* DEVM, *& Te secundum* DEVM *amas: non potes non revereri, si Tuam Professionem revereris. Quippe &* DEO *pleni sunt, & quos iure dixeris* Θεοφόρους: *& Tibi viam praeeunt, quâ ire pergas, quò coepisti, non ficto nomine* Antecessores, *siue* προηγούμενοι.

Sunt isti veri IVRIS SACERDOTES, *veri Philosophi,* Philosophiam non simulatam, *vt Imperator loquitur,* affectantes: *non vt*

plerique, barbâ, baculo, & perâtenus, ἄνευ τοῦ πράττειν, μέχρι τοῦ λέγειν: tinnientia crepitacula, &, verbo, vanitatis mancipia.

IVS, *à* IVVANDO *dictum vult Galeolus Martius. Eiuſcemodi* IVS *ſectati hi noſtri,* Per legitimos tramites (*eiuſdem Imp. verbis*) calumniantium iniquitates expellentes.

Audierunt iidem ſanctioris Monitoris ſanctiſsimum Interdictum, quo cauet, Ne quis quærat fieri Iudex, niſi valeat VIRTVTE IRRVMPERE INIQVITATEM. *Eccli. 7. v. 6.* Non extimuerunt *videlicet* faciem potentis, nec poſuerunt ſcandalum in æquitate ſuâ. *Ibid.*

Neque hæc nobis pro arbitrio aſſerentibus, credi volumus. Videantur ſingulorum Elogia, quæ hîc damus: & palam erit, nos potius eorum gloriam obiter attingere, quàm præter verum exaggerare; & modeſtiâ noſtrâ (ſiue infantiam dicere mauis) plus deterere, quàm tumido ſermone inflare. Adeo liberaliter, & ampliter ſuper *horum* Scribarum faciem, impoſuit DEVS honorem ſuum. *Eccli. 10. v. 5.*

Cæterùm

Caterùm Quinquaginta exhibemus Sanctos Iurisconsultos: ἀπροσδόκητον plerisque, & planè παράδοξον hoc erit, ijs maximè, qui opinatione parum eruditâ abrepti, vnicum Iuonem, in eâ Professione Sanctum, hactenus existimârunt, eumq́ꝫ, postquam cælos conscenderit, scalas secum adduxisse dictitarũt, ioco è triuio sumto. Virgilius doctius dixisset:

Extrema per ipsum
Iustitia excedens terris, vestigia fecit.

Sed non ita est. Fuit ille omnino magnus Iureconsultus, magnus Sanctus. At dicere solum illum fuisse, hominis est, in Historiâ Ecclesiasticâ planè hospitis, aut pueri. Habuit S. Iuo & ante se multos, quorum exemplis ad sanctitatem incitaretur: & post se non paucos, qui ipsius sectarentur sanctitatem.

Nouum hoc videbitur: sed imperitis tantum. Neque tamen vel ab his, vel ab vllo omnino homine vereor Noui operis Nuntiationem, *ne si* Prætor *quidem adeatur. Quod si quis nuntiare volet, meminerit, sibi* iurandum, Non calumniæ causâ Opus Nouũ nuntiare: *nam ita iubet Imp. ff. de No. Op. Nunt. t. 1. Nec terrear, si quacumque ex*

causâ, Lapilli iactu, aut ictu *meum hoc opus peti videam. Quippe* Lapillus *tantum erit, isq́ue quouis piso minor, quouis pumice leuior: à quo proinde nihil incommodi, nedum ruina, timendum Aedificio fundato, & extructo* supra firmam Petram *Christum Dominum. At quam* Petram, *& quantam? Meministi* Lapidem *illum* abscissum de Monte, sine manibus, qui factus est Mõs magnus, & impleuit vniuersam terram. *Dan. 2. Vide iam, an causa sit, vt exigui calculi inertis pumilionis lacerto librati, iactum, aut ictum vereantur, qui tali* Lapide *nituntur, Sancti nostri Iurisconsulti, ipsi etiam* Montes facti, qui vniuersam terram implent *gloriâ suæ Sanctitatis, & Eruditionis.*

Tu quoque, ADRIANE, *Iuris Diuini, atque Humani Consultißime, eodem lapide, eodem Monte, firmus hæres. Omnino illius Montis operâ, in quo consistis & tua diligentiâ, indefesso studio, & industriâ, ipse Mons factus es, &* Ciuitas in Monte posita, *aut Ciuitatis illius, (quam Ecclesiam Catholicam esse scimus) è millenis turribus vna. In*

hac

hac turri, siue Propugnaculo, publicè omnibus proposito, præsidium, & tutelam sibi repererunt hactenus, qui ad illud confugerunt, & consilio, atque operâ adiuti sunt: reipsâ etiam malis suis sæpe erepti, testãtibus tot alijs magnis Iurisconsultis, quibus hæc Ciuitas, si qua alia in Europa, semper abundauit.

Neque hoc tantum propinqui tui, alijq; priuatim: sed & publicitus irruentibus calamitatibus idem Propugnaculum sæpius oppositum. Testes tot Legationes, ad Magnos, atque adeo ad Maximos, Tibi vel obita, vel tergiuersanti licet, imposita; & successu, qui pro rerum, vel magnitudine, vel difficultate, optimus sperari potuit: præsertim in hac temporum acerbitate.

Hæc tamen, quæque alia sunt eiusdem generis, rectè semper intellexisti, nulla esse, & nihili, nisi ab illo Monte essent, quo niteris, Christo DEO, *& Domino nostro. In quo, vt firmior hæreres; vt eum, qui Te tanto honore honestauit, impensius honorares: superioribus diebus, cui tot iam antè modis, totus consecratus eras, etiam Sacerdos consecrari voluisti; vt sacrificio quoque (in quo supremus æterni Numinis cultus est) quotidiano illi litares.*

Macte ista tot Sanctorum Iurisperitorum imitatione! sed in hac exiguâ Tuarum Virtutum cõmemoratione obiter delibatâ, diutius hærere, non est consilium. Dicebat magnus quidam, nullam melodiam auribus, animoq; suo suauiorem accidere, quàm quâ eius laudes scitißimè, atq; copiosißimè canerentur. Tibi contrà, nulla musica est molestior, quam quæ laudes Tuas vel carptim attingat. Nimirum, inter tot alia Tua ornamenta, Modestia fortè est præcipuum. Hâc igitur Te frui sinam, neque de Tuis laudibus verbum addam.

At Necessarios aliquos Tuos si attigero, ratio, æquitas, & ipsa Pietas, te ægrè audire vetabunt. Scio è Flerontinis Tuis fuisse, qui belli gloriâ, & militari fortitudine floruerint. Iis præteritis, quod huius mei Libelli argumentum monet, tres, quatuorvè commemorabo, qui Iuris scientiâ clarißimi; probitate, vitæ innocentiâ, publici boni studio, eam scientiam ornarunt, illudq; ostenderunt, quod maximè nobis propositum est ostendere, Peritiam Iuris adeò Probitatem, Sanctitatemq; non excludere, vt altera alteri fultura potius sit, & magnum decus.

Noui ego, & , vt amicos, patronosq́; colui Patrem tuum Seruatium, & Fratrem Gerardum, vtrumque Iuris Consultißimum, & Religionis, cæterarumq́; Virtutum laude eminentem, vtrumque è Quatuordecim-viris Iuri dicundo, quæstionibus cuiusque generis, etiam capitalibus, enucleandis, atque diiudicandis, solemni, & antiquo instituto, præfectis, quos Scabinos vulgò vocamus, cùm Pater Principi antea à secretioribus Consilijs fuisset. In hoc Scabinorum Tribunali, quàm sanctè quâ prudentia, quâ integritate versati sint, malim, tum aliorum proborum omnium; tum maximè Collegarum, præstantissimorum virorum, testimonio, quam mea assertioni, fidem haberi. Ego quidem, nec solus, & illum, & istum, Reip. immaturè raptos, meritò & dolui, & doleo. Nam etsi Pater, æui, annorumq́; satur, atque etiam huius labilis vitæ; ad beatiorem illam aspirabat, quâ iam malis omnibus defunctum, perfrui, & æternùm perfruiturum, par est credere: at Patriæ, Ciuitatiq́; Leodiensi æquo citius subtractum iudicamus, quem illa proprium sibi, ac perpetuum, si fieri posset, esse peroptabat. Ipse

tamen

tamen vitæ annos quatuor, & ſeptuaginta, plus ſatis homini ad cæleſtia aſpiranti ratus, eò anhelus tendebat: &, quò faciliùs ſcopum attingeret; homo id ætatis ſacerdotio initiari feſtinabat; neſcius, ſe antè Chriſto æterno Sacerdoti, in ſacratiore Cælorum Templo, aſtiturum, hoſtiam illo conſeſſu, illo Altari dignam, quàm Hoſtiam ipſe, quam tantopere optabat, offerret. At Tu, Pietatis eius dignus Hæres, etiam Sacerdotij eſſe voluiſti, ſacrificium, vel Propitiatorium pro illo, ſi indigeret; vel Eucharistiſticum pro eius Gloriâ, oblaturus.

Frater verò cùm annos plures Ciuitati operam Actuarius (Graphiarium dicimus) eius Maximus, publico bono, bonam dediſſet: in idem Scabinorum Tribunal cooptatus; non diu quidem (quia Numini aliter viſum) ſed ea, qua in priore illo Magiſtratu, induſtria, illud ornauit: Patrem & vita, & commemorabili vitæ fine, ſanctè imitatus.

Ingratum ſilentium ſit, ſi Antonium Libertum, Sororis Tuæ maritum, tacitus prætercam, mihi, boniſq; omnibus tam amicum; cuius ſingularem omniũ bonarum artium, ac

Iuris

Iuris imprimis ſcientiā, qui non deprædicat, vel ignarus, vel liuidus cenſendus eſt. Vidit illum Leodienſis Ciuitas Aduocatum peritiſſimum, ac diligentiſſimum; Scabini, itidem vt duos priores, Collegam integerrimū: Prouincia tota maximi momenti negotiorum geſtorem & gnarum, & gnauum: quotquot eum nôrant acerbo funere raptum doluerūt, tum, cum eius opera publicè priuatimq́; neceſſaria maximè eſſet. Sed, ne Epiſtolæ huius modulum excedam, alios omittam, quos ſummo iure commemorare poſſem, & laudare. De his tribus, Patre Tuo, Fratre, & Affine, ſine præuaricatione omittere non queo, B. Virgini-Matri ſic fuiſſe addictos, eiuſq́; Sodalitati, vt non tantum aſſidui eam frequentarint; ſed & eius Præfecturam, ſummum in ea Magiſtratum, eius bono, cum laude, geſſerint, ac Pater inprimis ſæpius. Non ſilebo poſtremò (neque ſatis piè poſſim) Auum Tuum Paternum GERARDVM FLERONTINVM, *virum à Diuina Prouidentia, & ſingulari indulgentia Patriæ conceſſum, vt eius incolumitatem grauiſſimis conſilijs, indefeſſis laboribus tueretur. Prudentia Chriſtiano-Politica*

litica

litica cum Religionis studio, grata æmulatione, perpetuò in eius pectore, & ore, decertante.

Egit ille quidem Principis in sanctiore Concilio, & Consiliarium, & Aduocatum, quem vocamus Fiscalem, cuius illud maximè muneris est, Attendere, ne quid Resp. detrimenti patiatur: sed cum vtrumq; hoc tanti momenti Munus, indefessus exerceret, vrgeretq;: nunquam tamen sibi ipsi satisfaciebat, cum alijs bonis satisfaceret omnibus. Audeo dicere. Debet illi inter multos alios, & præ multis, & Ecclesia, & Ciuitas, Prouinciaq; Leodiensis, cõseruatam hactenus Diuino munere, sartam tectam Religionem Catholicam. Emerserat aliquantò antè illa Religionis publica pestis, Martinus Lutherus, cum suâ Hæresi. Non deerant, qui à vicina cõtagione afflati, & nescio qua nouitatis dulcedine allecti, Leodij eam recipiendam iudicarẽt Et iam agebant, vt proponeretur. Præ alijs idoneus visus Fiscalis, eâ authoritate vir, vt populo proponeret: nec inuitus ille eam prouinciam suscepit, fors & ambiuit. Sed ea in proponendo, prudentia Gerardi fuit, vt Proposuisse, fuerit expulisse.

Placetne vobis, inquit, ô Ciues, eam Religionem

gionem retineri, quam iam inde à ſui exordio Eccleſia Leodienſis huc vſque retinuit? quam Maiores veſtri perpetuò retinendam iudicarunt? extra quam, nulli ſalutem ſperandam cenſuerũt? quam ab illis, veſtris quoque Minoribus tradendam accepiſtis? Hic, cum ab omnibus ſucclamatum eſſet, Illam, illam, & nullam aliam placere : Decreto *inuiolabili facto; Hæreſes omnes, cum ſuis delirantibus Magiſtris, quam longiſsimè exulare iuſſæ ſunt, & hactenus damnatæ exulant. Tanti eſt, eſſe, qui* DEO *plenus, animos dictis regat, & tamquam manu ducat.*

Neque mirum fuit, ſic alijs propoſitum, quod altiſsimè ipſe in pectus demiſerat, & quo vno, magis, quàm animo ſuo, viuere videbatur. Obſeruarunt, *qui illum nôrant, Nunquam magis moueri ſolitum, quàm cum de Religione, & Fide Catholica agebatur.* Cum *publico Sacrificio in Cathedrali Sancti Lamberti, aut alia Eccleſia, interesat (quod aſſiduus faciebat) ardebat ille quidem ſemper Pietatis ſenſu, & velut incendio : ſed tum maximè flamma erumpebat, cum illa verba, è Symbolo Fidei, decantari de*

more

litica cum Religionis studio, grata æmulatione, perpetuò in eius pectore, & ore, decertante.

Egit ille quidem Principis in sanctiore Concilio, & Consiliarium, & Aduocatum, quem vocamus Fiscalem, cuius illud maximè muneris est, Attendere, ne quid Resp. detrimenti patiatur: sed cum vtrumq; hoc tanti momenti Munus, indefessus exerceret, vrgeretq;: nunquam tamen sibi ipsi satisfaciebat, cum alijs bonis satisfaceret omnibus. Audeo dicere. Debet illi inter multos alios, & præ multis, & Ecclesia, & Ciuitas, Prouinciaq; Leodiensis, cõseruatam hactenus Diuino munere, sartam tectam Religionem Catholicam. Emerserat aliquantò antè illa Religionis publica pestis, Martinus Lutherus, cum suâ Hæresi. Non deerant, qui à vicina cõtagione afflati, & nescio qua nouitatis dulcedine allecti, Leodij eam recipiendam iudicarẽt Et iam agebant, vt proponeretur. Præ alijs idoneus visus Fiscalis, eâ authoritate vir, vt populo proponeret: nec inuitus ille eam prouinciam suscepit, fors & ambiuit. Sed ea in proponendo, prudentia Gerardi fuit, vt Proposuisse, fuerit expulisse.

Placetne vobis, inquit, ô Ciues, eam Reli-

gionem

gionem retineri, quam iam inde à sui exordio Ecclesia Leodiensis huc vsque retinuit? quam Maiores vestri perpetuò retinendam iudicarunt? extra quam, nulli salutem sperandam censuerũt? quam ab illis, vestris quoque Minoribus tradendam accepistis? Hic, cum ab omnibus succlamatum esset, Illam, illam, & nullam aliam placere: Decreto inuiolabili facto: *Hæreses omnes, cum suis delirantibus Magistris, quam longißimè exulare iussæ sunt, & hactenus damnatæ exulant. Tanti est, esse, qui* DEO *plenus, animos dictis regat, & tamquam manu ducat.*

Neque mirum fuit, sic alijs propositum, quod altißimè ipse in pectus demiserat, & quo vno, magis, quàm animo suo, viuere videbatur. Obseruarunt, *qui illum nôrant, Nunquam magis moueri solitum, quàm cum de Religione, & Fide Catholica agebatur.* Cum *publico Sacrificio in Cathedrali Sancti Lamberti, aut alia Ecclesia, interesat (quod assiduus faciebat) ardebat ille quidem semper Pietatis sensu, & velut incendio: sed tum maximè flamma erumpebat, cum illa verba, è Symbolo Fidei, decantari de*

more

more audiebat: Vnam, Sanctam, Catholicã, & Apostolicam Ecclesiam. Quæ non facilè auribus hauriebat, quin eadem operâ, lacrymarũ suauissimarum imbribus oculi manarent.

In hoc tali Heroë desinam: cuius Filium, FRANCISCVM FLERONTINVM, *Patruum Tuum, nostra Societas* IESV, *& varijs in Collegijs Rectorem; & in Belgica, Præpositum Prouincialem, experta; eius etiam Prudentiam, Diligentiam, Caritatem, ceterasq; Religiosis dignas Virtutes, probauit, & maturius, quàm vellet, raptum doluit. Nimirum ab hoc, vt & à Parente tuo, Tu,* ADRIANE *Præstantissime, amorem illum hausisti, quo eamdem Societatem eiusq; filios, & me omnium minimũ, non sterili affectu, prosequeris.*

Nos Te vicissim omni veneratione: & ego, hoc munere, maximo illo quidem, si dimidiatam istam SS. Iuris-Consultorum centuriam, tamquam Castra DEI, *consideras: minimo, & penè nihili, si meam opellam. Tu illos, & affectum meum; non istam, pro tua humanitate, spectabis. Leodij* VII. *Martij, Anno Christiano* M. DC. XXXII.

Tuus in Christo Seruus.

IOHANNES ROBERTI.

AEQVO, ET NON LIVIDO
LECTORI,
Æquum iudicium afferre.

SCIO, *quo Seculo viuam, Lector candide. Multi sunt nigri; atrâ mente, atrâ sententiâ: qui nisi quod ipsi agunt, nihil rectum putant. In tam paucarum pagellarum Libello erunt non pauca, quæ vellicent. His tu mecum placidè, & non pro eorum felle responde.*

Principiò, Obijcient, Plerosque ex ijs, quos hic, vt Iurisconsultos proponimus, & vt Sanctos laudamus, fuisse Theologos. Id quidem si crimen, aut nefas est, vicerunt. Habent fatentem reum.

Sed dicito illis, hæc non pugnare. Quin & optimè conuenire, & amicè coniurare. Indignentur meritò Medici hoc obiectionis genus, quo illis S. Lucas præcipuum nobilis Professionis decus, & Patrocinium, eripitur. An enim S. Lucas Theologus non fuit? An fortè non Medicus, quia Theologus? Apage. Pueris ista crepundia.

Grauio-

Grauiorem arietem se vibrare censebunt, qui ita dictitabunt; Fuerint sanè isti omnes Iureconsulti: at plerique id studium reliquerunt. Et hoc, quid aliud fuit, quàm profiteri, Non posse in eo sanctitatem obtineri, non exerceri? Itane tandem? Tene, Lector, hic aries concutit? Ecce firmo te, & iterum adiutorem adduco S. Lucam. Nam hic, quantumuis optimo iure, & Medicus sit, & Medicorum Patronus eximius: Medicinæ tamen exercitium reliquit, Metaphraste apud Surium, teste locuplete. Sed Censores istos capiamus in verbis, & sententiâ suâ. Quære ab ijs, fateanturne, S. Iuonem Iureconsultum Sanctum fuisse, & ab Iureconsultis rectè vt Patronum coli? Annuent videlicet: imo per deridiculum dicent, vt solent, Illum esse solum Sanctum. Atqui ille quoque Iurisprudentiæ suæ exercitium in Theologiæ studium mutauit. Atque ita ille, qui putabatur plumbeus aries, non est nisi Telum imbelle, sine ictu: & plumbum pluma factum est. De Iuone quod dixi, si minus fidem adhibent, videant clarius indicatum, & probatum in hoc libello, num. 42.

Ne-

Negari tamen prorſus nequit, inquiunt, Pleroſque ex his, quos hic Iuriſperitos ſanctos producis, ſic in Iuris Peritiâ fuiſſe verſatos, vt eam vix obiter attigerint: certè multum exercuiſſe non conſtet; conſtet autem de eâ nihil ſcripſiſſe: indeq; adeò non videri cenſendos inter eos, qui iure ſic vocentur. Huic rationi hoc rurſum oppone, Ad Scripta quod attinet, neminem fore, qui probet, S. Lucam Medicinæ præcepta ſcripto vnquam tradidiſſe. Porro de Exercitio quod obtendunt; plurimos eſſe, qui à Medicis, vt ſuæ Artis colantur, quos nunquam probent, in eo ſtudio diu, multumq; verſatos. Id paulo poſt ità palam faciam, vt nihil ſit, quod contrà afferri poßit. Atque ecce.

Vixit noſtrâ memoriâ Ioannes Molanus, Theologiæ Profeſſor eximius, quem honoris cauſa nominatum volo. Hic inter tot alia Scripta, æternâ memoriâ digna, etiam Opuſculum elegans edidit, vocabulo, Medicorum Eccleſiaſticum Diarium. *In hoc, plurimos Sanctos Medicos proponit, & laudat, quos à Medicinæ Profeſſoribus, vt Patronos, meritò coli iubet. In his, vt alios ſileam, recenſet*

censet S. Basilium Magnum, 14. Iunij, & Gregorium Nazianzenum, 9. Maij. Neque aliam causam affert, quàm quòd Medicinæ aliquando studuerint, & in eâ profecerint.

Lubens subibo hanc aleam, vt quiuis, etiã maleuolus, omnes meos Iurisperitos Sanctos percurrat, & studiosè rimetur, sitne vel vnus, qui non maiore ratione inter Iureconsultos numeretur, quàm illi inter Medicos.

Hactenus satisfecisse ijs videor, qui negent, hos, quos edo, esse Iuridicæ Professionis. Iam verbo vno expediendi, qui negabunt esse Sanctos. Non omnes, inquient, sunt in Ecclesia Canone; siue, vt vulgo loquimur, Non sunt omnes Canonizati.

Responde, Lector, De antiquis quidem (vt sunt Dionysius, Cyprianus, Athanasius) non plus hîc mouendum difficultatis, quàm in quâuis aliâ professione. De recentioribus autem (cuiusmodi Thomas Morus, Salesius, & pauci alij) Sanctos eos proclamant vel Miracula, quibus eos DEVS *nobilitauit: vel doctrina, opera, & tota vita; in quâ qui Sanctitatem non agnoscat, nescire videtur, quid sit*

ſit ſanctitas: qui ſugillet, parum ſanè ſanctus ipſe ſit. Molanus mihi denuo hîc laudetur: qui in Diario Eccleſiaſtico Medicorum, caput integrum habet Kalendis Nouembris, cuius eſt Epigraphe : Memoria aliquot Medicorum, qui ſanctè vixerunt, etſi non ſunt Canonizati. *In hoc ſolo capite plures non Canonizatos reperies, quàm inter hos meos quinquaginta. Vt taceam, quòd 31. Iulij totum* Ordinem Ieſuatorum *inter Sanctos Medicos aſcribit*, quia aquas Medicinales diſtillant. *Nec omittit* Ordinem Ieſuitarum, quia ægrotis operam impendunt in Xenodochijs, alijſq; locis.

Atque hactenus ſatis reſponſum videtur ÿs, quæ contra noſtros Sanctos Iureconſultos quoquo modo obÿci poſſent.

Addam iam pauca, ex quibus intelligatur, Quid mihi hoc Libello voluerim, & quàm non modo candidè, ſed & quàm ſeriò, & ſolidè in eo verſari mihi propoſuerim. Tu, an aſſecutus ſim, candidè item iudicabis.

Potui multo plures tradere Sanctos Iuriſperitos: ſed nullos his addere viſum, ne vel in ſpeciem verè mihi obÿci poſſent, quæ paulò antè, ſolidè, vt opinor, reieci.

Si Iurisperitis accensuissem SS. Trinitatem, Christum Dominum, Adamum Protoplastum, Isaiam, Paulum Apostolum, Angelos Custodes: nō minore ratione me tuerer, quàm Molanus sæpius nominatus, qui eosdem Medicorum suorum numero ascripsit. Si B. Virginem-Matrem addidissem: rationem attulissem, dici ab Ecclesiâ Aduocatam nostrã. *Et de alijs multis similiter ratiocinari non erat difficile.*

Ex veteri Testamento accersere potui Iosue, Eleazarum, Phinees, totq́ alios Iudices. Item septuaginta duos Senes, Moysi adiunctos, tamquam Iudices subalternos.

Ex Nouo verò, iure prodire posse videbantur Nicodemus, Gamaliel, Pontifices Rom. complures, qui Iura condiderunt.

Generatim, numerum in immensum auxissent Omnes Sancti, *qui* Faciunt IVDICIVM conscriptum: *nam* Gloria hęc est OMNIBVS SANCTIS DEI. *Psal. 149. v. vlt. Neque magis suos plerosque Medicos Molanus assereret, quàm ego hos* Omnes. *Sed*

Nobis non lubet esse tam beatis,
Qui leges colimus Seueriores.

Deni-

Denique studio cauendi, ne quem huic Syntagmati insereremus, qui in dubium quoquo modo reuocari posset, eo saltem nomine, quòd ab Ecclesiâ necdum inter Sanctos receptus esset: iniuriam penè fecimus, omittendo tot inuictos Martyres Anglos, Iuris Consultissimos, qui pro Fide, Iustitiâ, & IVRE, *totum sanguinem, & vitam ipsam, generosè profuderunt. Sanderum, & alios consule. Pergo.*

Multos itidem omisimus magnos Sanctos, qui in Iure claruerunt: sed fortè in solo Canonico, siue Pontificio: cuiusmodi fuit inter cæteros, planè eximius, & planè magnus Sanctus, Antoninus, Archiepiscopus Florentinus, & tot alij. Sed neminem asciscere lubuit, nisi qui in vtroque Iure excelluisset.

Tales fuisse omnes meos, ipso statim initio singulorum Elogiorum, de singulis ita clarè ostendo, vt contentiosi, & ferè rixosi hominis sit, non acquiescere. Id significat, quod vbique appono: ASSERTIO IVRISPERITIAE.

Quærat quis, Quos Iurisperitos *censeri velimus? An alios præter* Aduocatos? *Sit*

hoc pro responso, Tales censendos, qui ex professo Ius *tractarunt : cuiusmodi sunt*, Legum Conditores: Ij, qui de Iure respondent: Aduocati, Procuratores in Causis Ciuilibus: Notarij. *Item horum in eâdem Professione* Adiutores, vel Administri; *quocumque nomine apud varias Nationes vocentur. Neque occlames, me nimis ampliter Vocem eam accipere. Molanus Medicos facit etiam* Chirurgos: *atque etiam eos, qui ægros* quâuis operâ iuuant.

Iam de Stylo, *ne mirare, si varius est. Sunt huius rei plures causæ: quarum Prima, quòd sæpè varios Authores facimus loquentes, qui ipsi vario charactere vsi sunt. Altera, Quòd vario tempore ista conscripsimus. Anni sunt plures quindecim, cum ex his tum Antiquos nonnullos; tum recentiores concinnauimus: qui multis annis inter chartas meas iacuerunt, dum interea alijs studijs occupamur eorum penè obliti, nec de alijs cogitantes. Aliàs deinde, atque aliàs resumtus alijs aliquot cõscribendis calamus, iterumq; abiectus. Tanto spatio, ætate, & sæpius valetudine mutatâ, nemo prudens miretur, si scriptio*

ptio quoque varia, & sibi dißimilis euasit. Certè de valetudine id profiteri possum: Agnosco ipse eam aliam, atque aliam, dum hoc Opusculum relego: & iam iacentem, aut inclinatam: iam erectiorem, & viuaciorem. Agnosces, Lector, tu idem, si quem harum rerum gustum vnquam hausisti. Imaginem mei videbis in hisce Imaginibus. Tam variæ, & tam vario tempore conscriptos sanctos Iureconsultos tandem in ordinem redegi, vt ecce edo.

Ordo præ omnibus placuit, Temporis, vt vno velut conspectu appareret, omni æuo eam Professionem sanctitate fuisse illustratam.

Fateor tamen primo loco poni debuisse Iobum, quem videbis in tertio. Sed Moyses, vt Legislator, & Populi DEI *tot annos Iudex, visus est idoneus, qui totum Agmen ductaret. Et ei honoris, & germanitatis causâ additus est Aaron frater.*

Indices aliquot in fine libelli reperies, gratum subsidium ijs, qui vel horum Nationes, vel mortis diem, ac mensem statim scire cõpendio voluerint.

Pauci omnino sunt, quorum Vita exitum

apud

apud nullum Authorem reperire licuit: posuimus tamen tum, Quando floruerint.

De his monendus, bone Lector, videbaris: neque amplius te moramur.

Imo hoc etiam cape. Siue Iurisconsultus es, siue quiduis aliud, horum sanctitatem admirare, &, quà licebit, imitare.

MOY-





M O Y S E S
LEGISLATOR, AEGYPTIVS.
ASSERTIO IVRISPERITIAE.

Philo Iudæus l. 1. de Vita Mosis.

Mosis, *vt quidam censent, Legislatoris,* νομοθέτȣ: *vt alij, Sacrarum Legum Interpretis,* ἑρμηνέως, *vitam scribere est animus.*

Idem, lib. 2.

Non solum humani, verumetiam diuini Ivris peritvs.

Moyses ipse, Exod. 18. 16.

Cum acciderit eis aliqua disceptatio, veniunt ad me, vt iudicem *inter eos.*

VITÆ SVMMA
ALIQVOT CAPITA.

Sat erat hunc Prophetam, hunc Legislatorem, hunc Dei Amicum nomine tenus posuisse. Quis enim Moysen audiat, & de sanctitate dubitet? Nyssenus Gregorius, cum eius vitam scribere decreuisset, libri sui Epigraphen illam fecit: *De Vitâ Mosis Legislatoris, siue de perfectione Virtutis.* Vides, vt

Mosis conuersationem, & consummatam Virtutem, idem censet? Philo, simili ratione in laude dissimili: *De Vitâ Mosis, hoc est, De Theologiâ, & Prophetiâ.*

Sed taceant isti, taceant homines vniuersi. Ausim decere de Moyse, quod de Domino Moysis dictum est: *Si hi tacuerint, lapides clamabunt*, (Luc. 19. 40.) Cur non lapides, quando clamarunt, & huius Herois Sanctitatem deprædicarũt alia, quæ in Orbe sunt vniuersa?

Clamarunt nimirum *Cæli, Terra, Mare*, eorumque incolæ, & accolæ, dum vel huic Sancto ad nutum obedierunt, vel eius inimicos monstris, prodigijs, supplicijs exagitarunt.

An non clamabat *Fluuius*, cùm aquas suas in sanguinem verti, & pisces suos interfici pateretur? An non *Terra*, dum sacrilegos, & rebelles Core, Dathan, Abiron, cum partiarijs suis, aperto per immanem hiatum, ore absorberet? An non *Aer, Ignis, Nubes*, dum ille & vice panis, Manna; & pro obsonio Coturnices suggerit: & iste in Columnam confor-

formatus, noctes proficiſcenti illuſtrat: & hæ gratam æſtuanti vmbram ſimili Columnæ ſpecie, ſuperponunt?

Ibóne per alia? nullus ſit finis. Nihil eius ſe obſequio ſubtraxit: non magna, non media, non infima. Tonitrua illi mugierunt, fulgura vibrarunt, ruit grando, maria ſecta ſunt, bibulæ arenæ aruerunt, Reges & populi hauſti ſunt. Ranæ, Sciniphes, muſcæ, locuſtæ, eo iubente enatæ ſunt, & increpante, euanuerunt. Quin & peſtem, & vlcera, vice carnificum, in quos voluit, immiſit. Et hæc talia, & tanta, quod magis ſtupeas, vilis illi virga perfecit. quę etiam, hero proijciente, coluber facta, ignauos Magorum colubros, momento deuorauit. Sed, quod antè dicebam, clamaturos lapides, nonne ſatis lapis clamauit, cum Petra, eâdem illâ virgâ percuſſa aperto ore, totos torrentes, & fluuios euomuit? Dubitet igitur de Moyſi ſanctitudine, cui hęc teſtimonia non ſat multa, non ſat grauia cenſebuntur. Sed nimirum nemo erit tam ſtolidus, & excors, qui dubitet.

Multò rectius non modò agnoſcemus, ſed & admirabimur; &, quantum in vnoquoque noſtrum opis & virium, Deo tribuente, erit, imitabimur, & cum Antiſtite Nyſſeno, ita cenſebimus, vnius Moyſi exemplum nobis ſufficere, *vt ſit tanquam è ſpeculâ fax affulgens, vt hos vitæ fluctus abſque naufragio ſuperemus, animãq́ʒ noſtram perturbationum vndis obſeſſam, in vitÿ demergi profundum minimè ſinamus, ſed in tutiſſimum virtutis portum deducamus.*

Deſinam, ſi dixero, tanti apud ipſum Devm omnis Sanctitatis Authorē fuiſſe Moyſen, vt & infantulum vndis expoſitum per Reginam ſeruauerit; & virum à Regum furore, per tot portenta, eripuerit; & mortuum, ipſe Rex, & Dominus Exercituum ſepelierit, nequicquam de huius filij lucis *corpore altercante Diabolo, Rege ſuper omnes filios ſuperbiæ.*

Sit illi pro Epitaphio ſimul, & Trophæo illud è Diuino ore elogium: *Non ſurrexit vltra Propheta in Iſraël ſicut Moyſes, quem noſſet Dominus facie ad faciem.* Deuteron. 34. 10.

Obijt Anno Mundi 2583. Ante Chriſtum, 1470. Ætatis 120. 4. Septemb.

AARON SACERDOS MAGNVS, AEGYPTIVS.

ASSERTIO IVRISPER.

Moyses, in Montem aſcenſurus, Exod. 24. v. 14. *Habetis* AARON, *& Hur vobiſcum: ſi quid natum fuerit* QVAESTIONIS, *referetis ad eos.*

QVantus hic eſt? dicat is, qui tantum illum fecit, & qui nos ſcire, & admirari voluit, dum ita de eo prædicat, Eccli. 45. v. 8. *Statuit ei teſtamentum æternum, & dedit illi Sacerdotium Gentis, & beatificauit illum in gloriâ, & circumcinxit eum zonâ gloriæ, & induit eum ſtolam gloriæ, & coronauit eum in vaſis virtutis. Factum eſt illi in teſtamentum æternum, & ſemini eius ſicut dies cæli, fungi Sacerdotio, & habere laudem, & glorificare populum ſuum in nomine eius. Ipſum elegit ab omni viuente, offerre Sacrificium* DEO, *incenſum, & bonum odorem, in memoriam placare pro populo ſuo: & dedit illi in præceptis ſuis poteſtatem, in teſtamentis iudiciorum, docere Iacob teſti-*

teſtimonia, & in lege ſuâ lucem dare Iſraël.

Addam pauca, quæ ſparſim legimus in libris Moyſis, Fratris eius.

Hoc ipſum quantum eſt, Fratrem eſſe illius magni amici DEI? & quidem, cum eſſet i lo, toto triennio ſenior, totos 38. annos, tantâ illi demiſsione ſubijci, fuit certè oſtendere ſe magnum in humilitate ſuâ. Maius fortaſsis hoc ijs, quæ iam indicamus, etſi omnino maxima.

Fuit igitur hic Moyſis interpres, & Adiutor in prodigijs illis patrandis, cuiuſmodi à condito Orbe, nunquam audita. Huius Virga in Draconem verſa, ignauos Magorum colubros deuorauit: atque poſtea, eadem, tamquam de hoſtibus deuictis, florẽns triumphauit.

Hic aquas in ſanguinem mutauit, puluerem in ſciniphes, rupem in fontes, & ſtagna aquarum.

Hic ex paludibus, exercitus, & aggeres eduxit importuniſsimarũ ranarum. Hic è cęlo, iã ſaxa grandinatim euocauit: iam ignes, iam aquas agminatim excuſsit.

Hic maria diuiſit, aggeſtis vtrimque

aqua-

aquarum montibus, inter quos ſicco veſtigio tranſijt exercitus piorum, hauſtus impiorum.

Hic duorum Filiorum acerba funera, vno momento vidit, & conſtans, taciruſque perpeſſus eſt.

Denique hic ille eſt Aaron, qui cùm tot annos, tanta feciſſet; tam acerba à duriſsimæ ceruicis Populo, tantâ æquitate animi tuliſſet; toties pro malis, bona rependiſſet: iam in ipſo ferè limine Terræ illius promiſſæ, ad quam annos plurimos anhelauerat, vnam ob culpam, humanitus admiſſam, ab illâ excluditur; imò & ab ipsâ vitâ, dum Dei iuſsis lubens, lætuſque cedit, & iuſſus mori (ô Heroem!) emoritur. Vidit aliàs hauriri ab incendio, impios & ingemuit; ignes medios ipſe ingreſſus eſt, & thus obtulit, vt quos poſſet, eriperet: ipſe à morte hauriendus, tamquam nihil hoc ad eum attineret, Montem, in quo carne exuendus erat, intrepidus aſcendit, & ex eo nunquam deſcendit.

Obijt Anno Mundi 2583. Ante Chriſtum 1470 Ætatis 123. 1. Iulij.

IOB, PATRIARCHA, ET PROPHETA, IDVMAEVS.

ASSERTIO IVRISPER.

Iob de ſeipſo, cap. 29. ver. 16.

CAVSAM, *quam neſciebam, diligentiſsimè inueſtigabam.* Optimi Interpretis, CAVSAM exponunt de LITE FORENSI.

OS aureum Chryſoſtomus, nunquam ſplendidius, nunquam liberalius Aurum ſuum exponit, & effundit, quàm cum de Patientiâ aureâ, cæteriſque Virtutibus huius Heroïs agit. Totas Homilias eaſque plures de hoc argumento, in ipſo reperies. Quin ipſum Iobi ſterquilinium ſupra aurum effert, ad quod viſendum, longiſsimas ſuſcipi peregrinationes à pijs teſtatur.

Sed nemo de hoc dignè loqui, nemo, quantum decet, ipſum laudare queat, præter ipſummet: ac ne ipſe quidem, niſi laudes illi dictaret, & ad vulgandas

das eas vrgeret, qui tam laudabilem illum fecerat, Spiritus ſanctus. Adeò præter tot alia Virtutum decora, ſemper illi cordi fuit animi demiſsio, & humilitas. Audi aliquid de eius Manſuetudine, & erga tenuiores, humanitate: *Auris beatificabat me, eo quòd liberaſſem pauperem vociferantem, & pupillum, cui non eſſet adiutor. Cor viduæ conſolatus ſum. Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum. Ab infantiâ meâ, creuit mecum miſeratio, & de vtero matris meæ egreſſa eſt mecum.*

De Humilitate: *Si iuſtificare me voluero, os meum condemnabit me. Etiam ſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea.*

De Caſtitate: *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.*

De Miſericordiâ: *Si negaui, quod volebant pauperibus, & oculos viduæ expectare feci. Si comedi buccellam meam ſolus, & non comedit pupillus ex eâ. Si non benedixérunt mihi latera eius, & de velleribus ouium mearum calefactus eſt.*

De Timore, & præsentiâ DEI: *Semper quasi tumentes super me fluctus, timui* DEVM, *& pondus eius ferre non potui.*

De Patientiâ frustra aliquid dicam, cum tota eius vita fuerit Patientia, & idẽ sit nominare Iob, & dicere Patientem.

De seruatis Dei Mandatis, & generatim de Virtutum omnium cultu, quàm præclarum illud! *Vestigia eius(* DEI *) secutus est pes meus: viam eius custodiui, & non declinaui ex eâ. A mandatis labiorum eius non recessi: & in sinu meo abscondi verba eius.*

Quid illud religiosissimum iuramentum! quod vtinam omnes mortales iurent, & seruent: VIVIT DEVS: *Quia donec superest halitus in me, & spiritus* DEI *in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium. Donec deficiam, non recedam ab innocentiâ meâ. Iustificationem meam, quã cœpi tenere, non deseram. Neque enim reprehendit me cor meum in* OMNI VITA MEA. O verè innocẽtię PHOENIX! Testetur is, qui illi Innocentiã contulerat: *Nunquid considerasti seruum meum Iob,*

quod

quod NON SIT EI SIMILIS IN TERRA? *Homo simplex, & rectus, & recedens à malo?* Quid post tot clades? *Adhuc retinens innocentiam.*

Huic admirabili Viro non nimium tribuunt, qui eũ faciunt *Patriarcham* Populi DEI extra Populum Israël; qui *Prophetã, Martyrem, Apostolis parem*, atque adeò sui sęculi *Apostolum*, & *Euangelistam*: *Doctorem Gentium.* & deniq; *Christi figurã, & typum.*

Fuit autem ex genere Abrahę, & Isaac, sed per Esau, nõ per Iacob, senior Moyse, cuius anno circiter 80. mortuus est Senex, & plenus dierum: credibileque est, cum Christo surrexisse.

Eius breue, & elegans hoc Epitaphiũ accipe ex Pineda nostro.

HOSPES, ASTA, ET PELLEGE.

Qui se, qui seclum vicit, qui sæua suorum
Funera, amicorum iurgia, pauperiem:
Vlcera qui carnis, qui coniugis impia verba,
Qui cælum iratum mente tulit placidâ:
Indomitâ virtute IOBVM, *Patientia Virgo,*
Iam vidua hoc sponsum condidit in tumulo.

Obijt Anno Mundi, 2544, Ante Christum 1509 Ætatis 217. 10. Maij.

DANIEL
PROPHETA PALAESTINVS.

ASSERTIO IVRISPER.

Daniel cap. 2. v. 48.

Rex Danielem constituit PRAEFECTVM MAGISTRATVVM.

Iterum cap. 13. v. 51.

Separate eos ab inuicem procul, & DIIVDICABO *eos.*

QVid ni & hoc Iudicium obires, & quoduis aliud, ô magnum decus *Iudicum* omnium, & *Iurisperitorum?* Nomen quippe tuum sonat vel *Iudicium* DEI, vel IVDEX DEI. Ille ipse DEVS *suscitauit Spiritum sanctum suum* in te, ad iustè iudicandum. cap. 13. v. 45. Cùm alioqui OMNE *verbum Sapientiæ, & Intellectus* (quis sapiens putet hinc absuisse scientiam *Politicam*, & cuiusuis IVRIS?) *in te fuerit super cunctos ariolus & magos, qui erant in vniuerso Regno.* cap. 1. v. 20.

DANIEL hic, stirpe Regiâ editus, nec in exilio, nec in seruitute, generositatem

tatem amiſit : quin & per ſapientiam ſuam, Regibus, dominis ſuis, non modo proximus adhæſit : ſed eos admonuit, atque adeo increpuit.

Nabuchodonoſor grauiter in DEVM, Regem regum peccauerat: auſus eſt Daniel horrendam illã denuntiare ei ſententiam : *Eÿcient te ab hominibus, & cum beſtÿs, feriſq; erit habitatio tua, & fœnum, vt bos, comedes.* Cap. 4. v. 22. Addit conſilium ſaluberrimum : *Peccata tua eleëmoſynis redime.*

Cum huius Filio Baltaſſare Rege, multo acrius egit noſter Daniel : *Aduerſum Dominatorem cœli eleuatus es*, inquit, *&*, DEVM, *qui habet flatum tuum in manu ſuâ, & omnes vias tuas, non glorificaſti.* Tum clarè denuntiat pœnam, quæ eius ſceleribus proximè imminebat, nempe, *Diuiſum eſſe Regnum eius, & datum Medis, & Perſis.* Cap. 5. v. 23. & 28. quam pœnam ſtatim reipſa expertus eſt : nam *eâdem nocte eſt interfectus.*

Porrò quàm ęquo animo ambo hi Reges Danielis ſententias tulerint, ſatis in-

de

de liquet, quòd & ſub priore dignitatem priſtinam retinuerit: & de poſteriore ſcriptum ſit: *Tunc, iubente Rege, indutus eſt Daniel purpurâ, & circumdata eſt torques aurea collo eius, & prædicatum eſt de eo, quod haberet poteſtatem tertius in regno ſuo.* Cap. 5. v. 29.

Sed qui Reges tam habuit benignos, regios canes expertus eſt & latratores, & mordaces. Aulicos dico quoſdam inuidos, niſi cum Conſtantino Imp. tales malis dicere *Palatij tineas, & ſorices*; tanto peiores ſordidis iſtis animalculis, quòd & comedant perpetuò, & ferre non poſsint, vt alij menſam, ciboſve attingant.

Itaque aliàs, quòd DEVM *ſuum*(DEVM vtique omnium, etiam nolentium) *tribus temporibus per diem oraret obſecratione ſuâ*; prçcipitem *in lacum leonum* deturbari curarunt. Quid lucrati? vt tam bonus DEVS *occluderet ora leonum, neque vlla læſio inueniretur in eo*: improbi verò calumniatores, eodem miſsi, *cum vxoribus, & filijs*, ab ijſdem famelicis leonibus *arriperentur*,

rentur, & omnia eorum ossa comminuerentur. Cap. 6. Aliàs propter ſublatum infame Idolum Bel, eiuſque templum deſtructum; & propter diruptum Draconem ſtolidorum Babyloniorum deum, iterum ſeptem leonibus prędam eſſe voluerunt. Sed quid obtinuerunt? vt multo clarior euaderet; vt diuinitus, Angeli, & Prophetæ miniſterio paſceretur; vt ipſi impij à rabìdis feris, *momento deuorarentur*: denique vt, ſublatis illis infamibus numinibus, triumpharet Daniel, & magis DEVS Danielis, promulgatâ iuſtiſsimâ illâ lege:

Paueant omnes habitantes in vniuersâ terrâ DEVM *Danielis, quia ipſe eſt Saluator, faciens ſigna, & mirabilia in terrâ: qui liberauit Danielem de lacu leonum.* Cap. 14.

Obijt Anno Mundi 3535. Ante Chriſtum 518. Ætatis 110, 21, Iulij.

S. HIE-

S. HIEROTHEVS

AREOPAGITA, GRAECVS, ATHENIENSIS.

ASSERTIO IVRISPER.

Græcorum Menologium
die 4. Octobr.

Natalis S. Patris nostri HIEROTHEI, *qui fuit vnus è numero Areopagitarum, qui ab Apostolo Paulo est instructus, vna cum magno illo Dionysio: cumq; religiosè vixisset migrauit ad Dominum.*

Cùm *Areopagitam* audis, satis audis, vt Iurisperitum credas. Siquidem, teste Metaphraste, in vitâ Dionysij, *Areopagitæ eorum, quæ fiebant, auditores, &* IVDICES *præsidebant.*

VITAE CAPITA PAVCA.

FVit hic HIEROTHEVS Apostoli Pauli Discipulus, & Filius; Dionysij Præceptor, & Pater. Hoc si solum dixero,

ro, ſatis ampliter dixero ad ampliſsimã ſanctitatem indicandam. Nam è tali Parente, quæ proles naſci potuit, niſi ſancta? & talis Filij Patrem alium fuiſſe, quàm ſanctum, quî credam? Sed non deſunt alia teſtimonia. Illud in primis, quod Sanctiſsimam Virginem Dei Matrem & viuam vidit, audiuitque: & vitâ functam honorauit; quippe, qui eius exequijs, cum Sanctiſsimo illo Apoſtolorum, aliorumq; Chriſtianorum Heroüm cœtu interfuit. Neque quouis modo interfuit. Nam, teſte Dionyſio, qui & ipſe aderat, cum totũ triduum hymni in tantę Matris honorem concinerentur; vnus ſecundum Apoſtolos Hierotheus atque adeò ipſis propè par Apoſtolis, ita excellebat, ita à ſenſibus rapiebatur, ita mente excedebat, ita diuinis eloquijs, agitante intus Spiritu, ebulliebat, vt cunctis, qui aderant, notis pariter, ignotiſque, prorſus ſacro numine correptus & planè diuinus laudator cenſeretur.

Timotheus quinetiam, ille Pauli diſcipulus, & geminis ab eo Epiſtolis honora-

noratus, adeò beatis illis HIEROTHEI dictis percitus animo fuit, vt frequenti eorum commemoratione, lubens foueret, refricaretque memoriam.

Qualia censeamus fuisse, quæ Diuinus iste vir Diuinis suis libris posteritati reliquerat? sed damnosa dies sic ea imminuit, vt præter pauca fragmenta, quæ, tamquam ingentis naufragij, miserandas, sed pretiosas reliquias, Dionysius collegit, restet nihil. Erant in ijs libris *Elementa Theologica*, erant *Hymni amatorij*: ex quibus nominibus, quid in voluminibus latuerit, suspicari quadamtenus licet. Dionysij certè ea de illis opinio erat, vt, quæ pauca in sua scripta transtulit, in ijs doctrinæ suæ velut firmissima firmamenta, cum amplissimâ sui illius Præceptoris laude, posita esse velit. Neq; aliter de eius sapientiâ iudicare potuit, aut debuit, de quo, in eo libro, quem de Diuinis Nominibus scriptum reliquit, celebrem illam, & celebratissimam sententiam, velut arcus triũphalis epigraphen exarauit, *(cap. 2.)*

Quod

Quod fuerit HIEROTHEVS, οὐ μόνον μαθὼν, ἀλλὰ καὶ παθὼν τὰ θεῖα, id eſt, Diuina non modò edoctus, ſed & expertus, ſiue paſſus. Huic quia nihil maius addere poſſumus, in eo acquieſcamus.

Ex S. Dionyſio Areopagita, & HIEROTHEI vitâ, à P. Petro Halloix Societatis noſtræ Sacerdote conſcriptâ.

Floruit Anno Chriſti 48. Obijt 4. Octob.

S. DIO-



S. DIONYSIVS AREOPAGITA, GRAECVS, ATHENIENSIS.

ASSERTIO IVRISPER.

Metaphraſt. in vitâ:

Eorum, quæ fiebant, Auditores, & IVDICES *præſidebant (:* Areopagitæ:) *quorum vnus etiam erat* DIONYSIVS, *cuius & in dicendo, &* IVDICANDO, *præcipuæ erant partes.*

Michaël Syngelus:

Hic eſt, qui rectiſſimâ in iudicando, trutinâ vſus, eorum, qui Athenis IVS *dicebant, iuſtiſsimus fuit.*

VITÆ COMPEND.

QVID in Te, ô Magne Galliarum Apoſtole, potiſsimum miremur? An diuinam illam ſagacitatẽ, quâ etiam tum Gentilitatis tenebris circumfuſus, cum ipſe quoque Sol, lucis fons, tenebris ipſo meridie obnubebatur, tantâ tamen luce à Sole Iuſtitiæ, harum tenebrarum authore, & illarum diſsipatore, illuſtratus es, vt, cęteris, non magis rei noui-

tate,

tate, quàm ſuâ ignoratione, attonitis; ſolus ſupra humanam cognitionem longè euectus, antè Propheta, quàm fidelis, exclamares: ἄγνωστος πάσχει Θεός, *Ignotus patitur* DEVS? An promtitudinem (dicam, an potiùs ὁρμὴν, & impetum) quo Fidem, Religionem, Pietatem arripuiſti, cùm primùm Magni Pauli vocem, tamquam tubam, aure, & mente hauſiſti? An eiuſdem Pietatis, Religioniſque exercitationem aſsiduam, quâ precibus intentus, noctes ducebas inſomnes; carnem domabas ieiunijs; deteriorem partem præſtantiori, id eſt, puluerem menti ſubijciebas: ad contemplationis celſitudinem ſublatus, ad cæleſtem claritatem totus euolabas, & in Apoſtolicis doctrinis, præſenti animo deliciabaris? Hæc videlicet in te videbat Apoſtolus, cùm te Athenienſibus Epiſcopum primum conſtitueret, & Patriæ tuæ Parentem. Hæc Apoſtolicus Pontifex Clemens, cùm te & Magiſtrum crearet, & Gallis Apoſtolum mitteret. Hâc Religione, hâc Authoritate, hâc animi per-



petuâ

petuâ constantia, immortalia illa facinora patrasti, quæ in te admiratur orbis terrarum. Cui tu orbi, & Gallis in primis tuis, Christum, eiusque doctrinam intulisti, Cacodæmonũ fraudes amouisti, fidem confirmasti, Ecclesias exædificasti, atque adeò Christi, & tuum sanctum gregem, ipsi Christo Templum effecisti. Et quid amplius dicam? Domitiano Cæsare, (: Dæmonianum rectius dixerim:) fortior factus, eiusque administris amentia, & furore illi quam simillimis; non modò loquens, & stupenda miracula patrans, ac sic totos populos, tota regna, aurea velut catena trahens; sed & dira tormenta sustinens, eos superasti. Denique eos non modò viuus, sed & moriens, imò mortuus conculcasti: cùm tibi ipsi superstes, sacrosanctum tuum caput diuinis manibus sustulisti, & tamquam trophæum victoriæ tuæ, quo lubuit, asportasti; ac sic carnifices illos, stupore defixos, quauis statua magis mutos reddidisti. Porrò interea dum sic examine corpus triumphat in terris,
præ-

præliorum loco;quid impolluto illi ſpiritui putamus in cælis, præmiorum propria ſede,triumphi eſſe decretum? Non dubium,à te, tanquam dulciſsimum filium exceptum(:vt nihil dicam de DEO filio tuo:) ô DEI Mater Virgo, qui cum Apoſtolis, cum Hierotheo Præceptore ſuo,cum diuino Timotheo, venerandæ dormitioni tuæ adfuerat, & cum ijſdem ipſe quoque hymnum gloriæ tuæ conuenientem decantârat.

Canamus & nos illi cum Oeco, &, qui ob virtutes Angelus vocatus eſt, eũ, vt Angelum, honoremus, dicamuſque: *Aue, qui Chriſtum per Paulum agnouiſti. Aue, qui multos ad Chriſtum conuertiſti. Aue conſilij à* DEO *cogniti ſpecula. Aue liber à* DEO *inſcripte(:* Θεοχάρακτε *:)myſteriorum theſaure. Aue tabula à Deo formata. Aue gutta amentiam excauans. Aue ſepimentum contra impiorum acceſſum. Aue fax, fideles illuſtrans. Aue Pater* παγκόσμιε, *vniuerſi mundi.* Ora pro nobis. Amen.

Ex Menæis Græc. 3. Oct. Metaph. 9. Oct. Suida, Niceph. l. 2. Syngelo, Methodio, ſiue Metrodoro.

Floruit Anno Chriſti 48. Obijt 9. Octob.

VETIVS EPAGATHVS,

MARTYR, GALLVS, LVGDVNENSIS.

ASSERTIO IVRISPER.

Parridicus lib. I. Historiæ Lugdunensis, cap. 25. ait fuisse Professione IVRISCONSVLTVM.

NOn satis est, hunc esse Martyrem, & illustrem Martyrem. Fuit etiam DVX Martyrum. Quadraginta octo Lugduni in stadium pro vitæ æternæ palmâ pugnaturi ingressi sunt. Horum Antesignanus (teste Gregorio Turon. lib. I. Histor. Franc. c. 29.) erat noster Epagathus.

Sed audi Historiam ipsam integram ab eodem Gregorio descriptam (lib. I. de Glor. Mart. c. 49.) atque ipsius verbis.

Quadraginta octo Martyrum nomina, qui apud Lugdunum passi dicuntur, hæc sunt: VETIVS EPAGATHVS, *Zacharias,* *Ma-*




carius, quorum ſancta corpora Iudex iniquus igni tradi præcepit, exuſtiſq; in Rhodanum pulueres iußit ſpargi. Sed poſtquam hæc geſta ſunt, cum Chriſtiani mœrorem maximum haberent, quaſi deperiſſent beatæ Reliquiæ: nocte apparuerunt viris fidelibus in eo loco, quo igni traditi ſunt, ſtantes integri, ac illæſi. Et conuerſi ad viros, dixerunt eis: Reliquiæ noſtræ ab hoc colligantur loco, quia nullus periјt à nobis. Ex hoc enim tranſlati ſumus ad requiem, quam nobis promiſit Rex cælorum Chriſtus, pro cuius nomine paßi ſumus.

Hæc renuntiantes viri illi reliquis Chriſtianis, gratias egerunt DEO, *& confortati ſunt in fide; colligenteſq; ſacros cineres, ædificauerunt Baſilicam miræ magnitudinis in eorum honore. Et ſepelierunt beata pignora ſub ſancto Altari; vbi ſe ſemper virtutibus manifeſtis cum* DEO *habitare declarauerunt.*

Locus autem ille, in quo paßi ſunt, Athanaco vocatur: ideoq; & ipſi Martyres à quibuſdam vocantur Athanacenſes.

O verè IVRIS PERITVM, qui tam peritè ſibi, totque alijs oſtenderit, QVID



IVRIS, vbi contra Magnum DEVM pusillus homuncio, etsi maximus Tyrannus, sacrilegum caput leuat! ô verè IVRIS-CONSVLTVM, qui tam consultò de IVRE responderit, tam salubriter consuluerit! O verè EPAGATHVM, quem tam BONVM, tam multi boni sequuntur, & qui tuis Bonis tot aliorum Bona addis!

Imitamini, si sapitis, ô Iurisconsulti Christiani, quà vobis posse dabit ipse Fons Iuris, ipsa Iustitia Christus, quem sic viuens, moriensq; coluit magnus Iuris, & Iustitiæ cultor EPAGATHVS. Huic quisque ex animo dicat:

Te sequor, ô nostræ Gentis decus, inq; tuis nunc
Fixa pedum pressis pono vestigia plantis.

Floruit Anno Christi 170. Obijt 2. Iunij.

S. CY-

S. CYPRIANVS
EPISCOPVS, ET MARTYR,
CARTAGINENSIS, AFER.

ASSERTIO IVRISPER.

Iacobus Pamelius in Vitâ Cypriani.

CAVSARVM PATRONVM *etiam aliquamdiu fuisse mihi sit verisimile ex Epistolâ ipsius ad Donatum, vbi verbis vtitur* FORO *tantum non proprijs.*

SI Virtutibus os esset, & lingua, certatim Cyprianum deprædicarent, in cuius diuino pectore sedem, & thronum sibi singulę collocauerant. Loquatur earum vicem Pontius tanti Sacerdotis dignus Diaconus, indiuiduus socius, actionum omnium sedulus obseruator, & exilij quoque illius sanctâ ambitione pertinax affectator.

Inter Fidei suæ prima rudimẽta, nihil aliud credidit DEO *dignum, quàm si continentiam tueretur. Tunc enim poße idoneum fieri pectus, & sensum ad plenam veri capacita-*

tem peruenire, si concupiscentiam carnis robusto, atque integro sanctimoniæ vigore calcaret. Quis vnquam tanti miraculi meminit? Nondum secunda natiuitas nouum hominem splendore toto diuinæ lucis oculauerat; & iam veteres, ac pristinas tenebras sola lucis paratura vincebat. Præproperâ velocitate pietatis penè ante cœpit perfectus esse, quàm disceret. Nemo metit, statim vt seuit. Nemo vindemiam de nouellis scrobibus expreßit. Nemo adbuc vnquam de nouiter plantatis arbusculis matura poma quæsiuit. In illo omnia incredibiliter cucurrerunt. Præuenit, si potest dici (res enim fidem non capit) præuenit, inquam, meßis sementem, vindemia palmitem, poma radicem.

Præclara ista,& omnino inusitata:sed generalia. Particuliaria etiam quædam ex eodem referamus. Cùm dixisset,potuisse citius eum sacro Martyrio coronari; sed id non expediuisse, Quia *imminens ruina*, inquit,*ope tam fœcundi pectoris indigebat. Finge enim, tunc illum Martyrij dignatione translatum. Quis emolumentum gratiæ per fidem proficientis ostenderet? Quis Vir-*

Virgines ad congruentem pudicitiæ disciplinam, & habitum sanctimoniâ dignum, velut frenis quibusdam lectionis dominicæ coerceret? Quis doceret pœnitentiam lapsos, veritatem Hæreticos, Schismaticos vnitatem, Filios DEI *pacem? Per quem Gentiles blasphemi, repercußis in se ijs, quæ nobis ingerunt, vincerentur? Quis Martyras tantos exhortatione diuini sermonis erigeret? Quis denique tot Confessores frontium notatarum secundâ inscriptione signatos, & ad exemplum Martyrij superstites reseruatos, incentiuo tubæ cælestis animaret?*

Præclara iterum ista Pontius de diuinis occupationibus Sancti Præsulis, dum vixit. Sed quid, cum iam vita deserenda, & cum meliore commutanda?

Proceßit, inquit, *iam certus expungi, quod diu fuerat retardatum: proceßit animo sublimi, & erecto; hilaritatem præferens vultu, & corde virtutem. Legit de tabulâ sententiam Iudex, sententiam gloriosam, in quâ dictus est sectæ suæ Signifer, & Inimicus deorum, & qui suis futurus esset ipse documento, & quod sanguine eius inciperet disciplina sanciri.*

Nihil hâc sententiâ plenius, nihil verius. Omnia quippe quæ dicta sunt, licet à Gentili dicta, diuina sunt. Sed iam ligatis per manus suas oculis, moram carnificis vrgere tentabat. Sic consummatâ paßione, perfectum est, vt Cyprianus, qui bonorum omnium fuerat exemplum, etiam sacerdotales coronas, in Africâ primus imbueret, quia & talis esse post Apostolos prior cœperat.

Concludat nobis hoc Elogium Christianus Poëta Aurelius Prudentius Clemens, vt concludit elegantem Hymnũ de S. Martyre nostro Cypriano:

Denique Doctor humi est, idem quoq; Martyr in supernis:
Instruit hîc homines; illinc pia dona dat Patronus.

Obijt Anno Christi 259. 14. Septemb.

S. GRE-

S. GREGORIVS THAVMATVRGVS, GRAECVS, NEOCAESARIENSIS.

ASSERTIO IVRISPER.

Socrat. lib. 4. Hiſtor. cap.23. *Beryti* LEGES *Gregorius edidicit*. Erat autem Berytus Academia, in quâ Iuris maximè ſtudium florebat.

Ipſe S. GREGOR. THAVMATVRGVS in Oratione Proſphoneticâ, & Panegyrica ad Origenem.

Quidam ex meis Magiſtris, Legum non imperitus, author mihi fuit, vt, ipſo docente, Romanas LEGES *addiſcerem. Ego verò aſſenſus ſum.*

Ibidem: *His* LEGIBVS *eruditus fui.*

De huius SANCTI IVRIS-PERITI *ſanctitate Sanctorum è plurimis pauca Teſtimonia.*

MErito de Sancto Sancti potius loquantur, quàm nos cupidi tantum, vtinam ſeriò, ſanctitatis.

Horum Sanctorum Testium agmen ducat S. Basilius Magnus, cuius illa sunt sanè splendida (lib. de Spiritu S. cap. 29.)

Gregorium Magnum, & illius voces quo loco ponam? An non cum Apostolis & Prophetis, virum, qui eodem spiritu, quo illi, versatus sit, quiq; Sanctorum vestigijs per omnem vitam inhæserit, quiq; Euangelicæ conuersationis vigorem, quamdiu vixit, præstiterit? Ille velut insignis, magnaq; lucerna, in Ecclesia DEI *resplenduit, qui è Spiritus ope terrorem habuit aduersus Dæmonum potestatem. Nam tantam acceperat gratiam ad obedientiam fidei inter Gentes, vt assumtis non plus septemdecim Christianis, vniuersum populum, & vrbanum, & rusticanum, per agnitionem adiunxerit* DEO. *Ille & fluminum cursus in diuersum vertit, præcipiens illis in magno nomine Christi: & paludem exsiccauit, belli causam præbentem fratribus auaris. Cæterum prædictiones de futuris eiusmodi sunt, vt nihilo sit inferior cæteris Prophetis. Ab ipsis etiam veritatis hostibus alter Moyses appellatus fuit.* Hæc de THAVMATVRGO nostro Magnus Basilius.

filius. At Basilij frater Gregorius Nyssenus, eiusdem magni Sancti vitam, ac simul encomium ex professo, & accuratè scripsit: è quâ pauca ista excerpta, pio Lectori proponimus.

Cuncti id vnum agebant, vt Magnus ille apud ipsos maneret, tamquam conditor virtutis, & vitæ legislator futurus. Sed ille modis omnibus superbiæ materiam fugit. Idem: *Nihil ei rerum ad vitam necessariarum supererat; non ager, non locus, non domus: sed omnia ipse sibi erat. Imo verò virtus, & fides ei patria erat, & sedes, & diuitiæ.* Iterum: *Comitibus eius solicitis, à quibus tecto reciperetur, Quid hæc, aiebat* GREGORIVS, *quasi extra protectionem* DEI *constituti, anxij inquiritis? an parua nobis domus* DEVS *esse videtur? siquidem per eum viuimus, & mouemur, & sumus. An arctum cæleste vobis tectum videtur? & præter hoc, aliud diuersorium quæritis? Vna vobis domus curæ sit, quæ videlicet per virtutes ædificatur, & in altum tollitur. Hoc attendite, ne hoc habitaculum vobis non paratum, instructumq; sit.*

Nec soli Græci hunc Græcum, Grecè

& Latinè doctum Iurisperitum laudarunt. Hieronymus Latinus (Epist. 84. ad Magnum Oratorem Romanum) eum *virum Apostolicorum signorum, atque virtutum* vocat. Gregorius Magnus, huius GREGORII item Magni virtutem honorificè memorat, (Lib. 1. Dialog. c. 7.) quâ ingentem montem, solâ adhibitâ oratione, & fide longè remouit.

Omittamus alios. Græcum Menologium audiamus, his omnibus maius quid, & longè illustrius, commemorans, illis verbis: GREGORIVS *parentibus natus infidelibus, Fidei Mysterium à sanctißimâ* DEI *genitrice, Ioanneq; Theologo* (est hic ipse Euangelista, Virginis filius) *per visionem edoctus fuit.*

In hâc dignatione, Sanctitatis, & Magnitudinis eius modum ponamus.

Obijt Anno Christi 266. 17. Nouemb.

S. GE-

S. GENESIVS MARTYR ARELATENSIS, ROMANVS.

ASSERTIO IVRISPER.

B. Paulinus Nolanus Episc. in Martyrio S. Genesij.

S. GENESIVS *eam officij partem studio, & arte complexus est, qua* PATRONORVM *verba vel noua signorum velocitate, vel dextera, sonum vocis aquaret.* Ibid. *Ante Tribunal* EXCEPTORIS *fungebatur Officio.*

SInamus Sanctum de Sancto scribere, aiebat S. Thomas Aquinas, cum intelligeret à Sancto Bonauentura scribi vitam Sancti Francisci. Iure idem hîc dicam, sinamque Sanctum Episcopum Paulinum de Genesio Sancto NOTARIO, & Martyre scribere. Mihi satis erit honoris, si eius verba descripsero.

Accidit, vt, cum ante Tribunal, Exceptoris fungeretur officio, iniusto, atque sacrilego mandato persecutionis iussa ederentur, qua deuo-

deuotus DEO *repudiaret auditus, & imprimere ceris manus sancta respueret. Abiectis ergo tabulis ante pedes Iudicis, ministerium sacrilegum sacrata iam Domino mens refugit.* Et vt *in nullo à præceptis Euangelicis actus Martyris deuiarent, quibus declinare persecutionis impetum, vel permittimur, vel iubemur: aliâ atque aliâ, non solum latebrâ, verum etiam ciuitate mutatâ; cum & alio loco scriptum sit, Spiritus quidem promtus est, caro autem infirma: ab irâ se furentis Iudicis paulisper occuluit: Sed iam Dominus, qui per Spiritum Sanctum, futuri Martyris seruabat arcana; subeundæ constantiam paßionis, vel fecerat, vel videbat: neque patiebatur differri coronam, cùm videret, paratam esse victoriam. Itaque percussoribus suis eum obtulit, & ijs, quorum in eundem auida crudelitas inhiabat, ostendit.*

Atque is, vbi se perspicit deprehensum instinctu Domini Rhodanum petijt, & sancta fluuio membra committit: vt eum illic à contagione mortali, velut alterius Iordanis vndis, occultus Baptista purgaret; & mutuo, alternoq; mysterio, & aquis corpus, & aquas

corpore

corpore consecrauit. Atque hæc causa profecto extitit, vt natandi adminiculo perueniret: qui exemplo B. Petri ad Christum tendens, per summa gurgitum ambulare potuit.

Transgressum continuò in vlteriora fluminis, & subeundi præmij paßionis, Christo sponsore securum, eo in loco, quem effusioni sanguinis gloriosi Dominus elegerat, quique nunc oratione aßiduâ, & votis nunquam irritis frequẽtatur, percussor assequitur, exoptatoq; gladij ictu, festinantem ad DEVM *animam vinculis corporis, quibus tenebatur, absoluit: & vtrâq; substantiâ propriæ originis elementa repetente; terrena interim terris membra commendat, & cælestem spiritum emittit ad cælum.*

Prouiderunt tamen fideles temporis illius DEI *serui, vt vtramque fluminis ripam geminatis vrbibus ambiendam, vnius Martyris tutela muniret. Nam in ipso beatæ paßionis loco, consecrati cruoris vestigia relinquentes, in alterum fluuij latus honoratas reliquias transtulerunt: vt vtrobique præsens Sanctus Genesius, illic sanguine haberetur, hic corpore.*

Obijt Anno Christi 280. 28. Augusti.

S. THEOPHILVS
ADVOCATVS, ET MARTYR,
Cappadox, Cæſarienſis.

ASSERTIO IVRISPER.

Vita S. Dorotheæ apud Surium, 6. Febr.

THEOPHILVS, ADVOCATVS *Præſidis*, & infrà: *Scholaſticus* THEOPHILVS. Eâ voce, *Aduocatum* ſignificari, oſtendit Baronius, in Notis ad Rom. Martyrologium.

Excerpta de eius Vitâ, & Martyrio, ex Vitâ S. Dorotheæ.

AGe Dorothea Virgo fortiſsima, Martyr caſtiſsima: Age cæleſtis Horti ſponſi tui cultrix, & proma conda, etiam in immeritos, liberaliſsima: Age, mitte THEOPHILO, ſubſannatori tuo, Roſas, & Poma, vt illi quoque, ſicut omnibus, *Chriſti bonus odor ſis.* Maximè, inquit Virgo. Ecce tibi adſunt. Cape THEOPHILE, & *noli eſſe incredulus, ſed fidelis.*

Ridebas illam, beate Sannio, improbissimo Præsidi, Sapritio, domino tuo, Horti illius delicias, & beatam copiam, deprædicantem. Poposcisti *Flores & fructus*, quos nusquam esse credebas. Adsunt tamen. En vide, en naribus & ori applica, en toto gutture hauri. Hausisti: sed magis Virginis tantorum Dispensatricis donorum, diuinam Potestatem: sed magis Cælestis pueri, dona illa deferentis, Angelicam formositatem: sed magis, & maximè Christi, primi Cultoris, Irrigatoris, incrementi Datoris æternam liberalitatem. Hæc videlicet vicissim te totum hausit, hæc te absorbuit.

Sic igitur absorptus, visis *Rosis*, Cælum, non Terram spirantibus: visis *Malis*, omnem Ambrosiam, omne Nectar saporis castâ illecebrâ superantibus; instar magni Gentium Doctoris, eodem spiritu plenus, exclamas: *Verè* DEVS *Christus est, & non est vlla simulatio in eo*: & iam Martyrium spirans, & sperans, addis: *Beati, qui credunt in Christum, & qui patiuntur pro nomine eius.*

Quænam te hoc ſchola docuit, ô *Scholaſtice*? Quis te Doctor ad hæc aduocauit, ô *Aduocate*? Quis, niſi ille ipſe Horti ſui talis Cultor, qui te in eo fecit cum Zacheo calcare ſycomorum, id eſt fatuam mundi ſapientiam?

O beatum *Scholaſticum*! beatum diſcipulum! An non & beatum Magiſtrũ? omnino, & ex tempore, tali Magiſtro. Quid obmurmuras, ô impie Præſes Sapriti? Quin audis hunc Didaſcalum? quin eius fis diſcipulus, etſi paulo antè eius Dominus? Crede mihi, nunquam ſapientius mutaueris ſortem. Audi diuinam Lectionem.

Iuſtum eſt, vt veritati ſubſcribens, à falſitate animum reuoces. Decet enim, vt qui alios iudicas mentientes, teipſum à mendacio auferas, & ad eam, quæ eſt in Chriſto, te transferas veritatem.

Ringeris? furis? Minaris? in tyrannidem, in ſupplicia aſſurgis? Audi aliam Lectionem:

Summa Sapientia hæc eſt, vt Philoſophiam declarem erga omnes affectus meos, & cruciatus

ciatus tuos nihil penitus timeam. O Præceptorem ſuprema cathedra dignißimum! Decernis tu, Tyranne, illi Eculeũ? Eum ipſe pro Cathedrâ habet, & ex eo hanc tertiam Lectionem te docet:

Ecce modo factus ſum Chriſtianus, quia in Cruce ſuſpenſus ſum. Gratias tibi ago, Chriſte, quia in ſigno tuo leuari me permiſiſti. Quid tu impie importunam, & ſtolidam tuam ſapientiam oſtentas, atq; ſic obijcis: *Infelix, parce carnibus tuis?* quanto ille doctius reſpondet: *Infelix, parce animæ tuæ? Ego enim carnibus meis temporaliter non parco, vt animæ æternum parcatur.*

Quid tu, cruente Prȩſes, quid tu ad hȩc? Adhibes lateribus *vngulas, adhibes ardentes lampades*: denique capite eum plecti iubes. At ille ex vngulis, ex ignibus tuis purior emicãs, capiti ſuo, Deo ſuo Chriſto, Victor, & Triumphator adiungitur.

Nunquam hic Cauſidicus cauſam vllã felicius egit, quàm pro ſe hanc vltimam.

Cæterùm petitos, acceptoſque *Flores, ac fructus* elegantius depictos tibi offero Poëtico penicillo noſtri Iacobi Bidermani, lib. 2. Epigr. 4.

Dorothea Theophilo roſas è cælo promittit & mittit.

CAna gelu, & niueis hiemabāt arua pruinis,
Et nemus amiſſas flebat, & hortus opes:
Cum moritura, crocos & odori lilia prati,
Et placitas ibat carpere Virgo roſas.
Hic Iuuenis riſitq; roſas, ridenſq; popoſcit;
Nec mora, quas riſit, quaſq; popoſcit habet.
Nam puer ex aſtris, ipſis formoſior aſtris,
Portat odorato munera verna ſinu.
Hæc ait, Elyſiis tibi lilia mittit ab hortis,
Ah malè ludibrio riſa Puella tuo.
Ille probat donū, pueri probat ora; ſed hortos
Præ pueri dono, præ pueri ore probat.
Parce tuas iā, Virgo, roſas mihi mittere, dixit,
Cernere tota horti malo roſeta tui.
Dixit & in ſtrictos benè credulus irruit enſes,
Aeſtiuumq; ſubit cælo hiemante nemus.
Res noua! qui flores aſtrorum riſit, & hortos;
Huic iubet offenſum Numen vtroſq; dari.
Ergone iā luimus, cū ſpreta capeſſimus? inquit;
O vtinam, quiſquis ſpreuerit aſtra, luat.

Obijt Anno Chriſti 300. 6. Februar.

S. PHI-

S. PHILOGONIVS EPISCOPVS, GRAECVS, ANTIOCHENVS.

ASSERTIO IVRISPER.

Martyrologium Rom. die 20. Decemb.

Antiochiæ natalis Sancti PHILOGONII *Episcopi, qui ex* CAVSIDICO, *ad eam Ecclesiam regendam*, DEI *nutu accersitus, aduersus Arium, vnà cum Sancto Alexandro Episcopo, & socijs, primùm pro fide Catholicâ certamen inijt, clarusq; meritis, quieuit in Domino: cuius annuam festiuitatem S. Ioannes Chrysostomus præclaro encomio celebrauit.*

HOc publicarum Ecclesiæ Tabularum tam nobili Testimonio, non tantum vides, fuisse *Iurisconsultum*; verum etiam Elogium huius Sancti habes, quo maius non expectes. Quantum enim est, DEI *nutu accersiri ad* tam nobilem *Ecclesiam regendam*! Quantum, aduersus funestißimum Hæresiarcham Arium nõ mo-

modo *pro fide Catholicâ inire certamen*; sed primum, sed cum talibus socijs! Quantum, meritis clarum quiescere in Domino! Quantum, à Chrysostomo laudari, tam laudato viro! Ex ipso tamen Aurei oris sermone, hæc pauca de S. Philogonio accipe.

Vbi DEVS *suo suffragio aliquem designauerit, illaq; manus sanctum contigerit caput: incorruptum suffragium, alienum ab omni suspicione iudicium, indubitata fuerit delecti comprobatio, propter eius, qui delegit, authoritatem. Porrò, quòd elegerit eum* DEVS, *vel ex ipsâ morum integritate perspicuum est: quippe quem ex medio abreptum* FORO, *ad thronum hunc euexerit. Adeo castam, & insignem prius egit vitam, cum vxorem haberet, & filiam, & in* FORENSIBVS *negotijs versaretur; adeo Solem ipsum splendore vicit, vt protinus ab illo gesto, hoc Magistratu dignus videretur, & à tribunali ad tribunal euectus sit. Ac tum quidem hominibus patrocinabatur aduersus homines, qui struebant insidias, eos, qui afficiebantur iniuriâ, superiores reddens ijs, qui iniuriam inferebant.*

Hic

Hic autem adest hominibus patrocinans aduersus Dæmones inuadentes. Hæc Chrysostomus, & plura.

Etiam ex Nicephoro Callisto ista tibi exhibeo, è lib. 8. Hist. cap. 6. *Ecclesiæ reliquam structuram Philogonius perfecit, qui ex* CAVSIDICO *Episcopus, Licinij temporibus, vti virum fortem decet, ardorem, æmulationemq́; suam pro verâ pietate ostendit.*

Nec habeo, quod addam, nisi modicum fragmentum Epistolæ pestilentissimi Arij, qui apud Epiphanium Hæresi 69. quæ est Ariomanitarum, de nostro Philogonio, & aliquot alijs Sanctis, ita ait: *Excepto Philogonio, & Hellanico, & Macario, hominibus Hæreticis, in Fidei doctrinâ non instructis. Hos impios neque audire possumus, etiamsi infinitas mortes nobis Hæretici minentur.*

Ita Hæreticorum infernalis Coryphæus, à quo Hæreseos damnari, fuit Catholicum declarari, & verè orthodoxum.

Floruit Anno Christi 320. Obijt. 20. Decemb.

S. PRIMARIVS CONFESSOR, ET IVDEX, AEGYPTIVS.

ASSERTIO IVRISPER.

Cum in IVDICIO SEDI, *nec filij mei personam contra Iustitiam accepi.* Ita ipsemet S. *Primarius*, lib. 2. de Vitis Patrum, Ruffino Presbytero auctore.

NOta est illius magni Anachoretæ Paphnutij sanctitas. Is cum se diu, multumque in exquisitissimis virtutis, pietatisque operibus exercuisset; DEVM aliquando orauit, dignaretur sibi ostendere, ecquis paris secum, corã ipso DEO, esset meriti. Audijt amicum sibi seruum optimus Dominus, respondítque: *Similem te esse nosce* PRIMARIO *vici illius, qui est in proximo.* Mox igitur ad eum adit Paphnutius, quem Primarius (vtor hoc nomine, tamquam eius proprio, etsi Dignitatis potius esse scio: verum aliud non proditur) pro more sibi solemni, lætus

lætus gratum hoſpitem accipit, pedes lauat, menſam apponit, & quam poteſt lautè habet. Inter epulas rogat Anachoreta Primarium, quemadmodum vitam agitet, quas virtutes potiſsimum exerceat? ille de ſe vilia, & humilia reſpondet, ſed vrget hoſpes, aitque à DEO ſibi indicatum, dignum eſſe, qui cum Aſcetis verſaretur, petitque candidum reſponſum. Tum ille, tamquam DEO iubente ita infit: Triginta iam totos annos à commercio cum vxore meâ abſtineo, nemine alio conſcio; neque illam niſi liberorum ſuſcipiendorũ causâ vnquam cognoui. Hoſpites lubens ſemper ſuſcepi; quin etiam ante alios lætus illis occurri: ex ijs neminem vnquam ſine viatico egredi domo meâ paſſus ſum: quibuſuis pauperibus neceſſaria, quoad potui, hilariter præbui. *Cum in* IVDICIO SEDI, *nec filij mei perſonam, contra iuſtitiam accepi.* Alieni laboris fructus nunquam introïerunt in domum meam. Litem ſi vidi, nunquam præterij, donec reconciliarem diſsidentes ad pacem.

Quan-

Quantum in me fuit, nunquam permiſi, vt potentior infirmum premeret. Dum vixi, operam dedi, neminem vt contriſtarem. Dum primas in IVDICIO tenui, neminem condemnaui, ſed litigantes in concordiam reuocaui.

Ad hæc Paphnutius, ſancti Iuriſconſulti caput exoſculatus: *Benedicat te Dominus ex Sion*, inquit, *& videas bona Ieruſalem.* Cæterum vnum tibi deeſſe ſcito, omnia vt relinquas, & ipſam ſequaris DEI ſapientiam, theſauroſque ſecretiores quæras, quos nunquam reperies, niſi teipſum abneges, crucem tuam tollas, & Chriſtum ſequaris.

Vix hæc elocutus erat Paphnutius, cum admirandus ille Primarius, nullâ prorſus rei Domeſticæ ratione habitâ, cum eo Deſertum petijt. Quod DEVS cordi ſibi eſſe mox oſtendit. Nam cum traijciendus occurreret fluuius altiſsimę profunditatis, intrepidè vtrique ingreſſi, vix latera tincta ſunt. Vbi ad Eremum ventum eſt, præcepta tradit cæleſtis Sapiẽtiæ, Tironi ſuo exercitatus Magiſter:

quæ

quæ ille ita auidus arripuit, ita ſedulus exercuit, ita conſtanter ad finem vſque tenuit: vt Paphnutius teſtatus ſit, ſe aliquando in cellulâ ſuâ ſedentem, vidiſſe eius puriſsimam animam in cælum euolantem, ſtipantibus Angelorum Choris, & hilariter cõcinentibus: Beatus, quem elegiſti, & aſſumſiſti: inhabitabit in atrijs tuis.

Floruit cum Paphnutio, Anno Chriſti 325.



S. ATHANASIVS

EPISCOPVS, ET CONFESSOR,

Aegyptius, Alexandrinus.

ASSERTIO IVRISPER.

B. Seuerus Sulpicius lib. 2.
Sacræ Hiſtoriæ.

Ariani primum ATHANASIVM *Alexandriæ Epiſcopum* IVRISCONSVLTVM, *qui apud Nicenam Synodum, Diaconus adſuerat, aggrediuntur.*

Baronius, Tom. 3. Annal.
Anno Chriſti 311.

ATHANASIVS, *non tantum fuit valdè imbutus Theologicis facultatibus, ſed etiã* IVRIS *ſcientiam apprimè calluit.*

VBi tot diuini Olores de huius Magni Herois laudibus, cæleſti voce concinunt, ego puſillus anſer non interſtrepam. Illorum muſicam dum refero Symphoniam, tu Lector, venerabundus auſculta.

Mar-

Martyrologium Rom. die 2. Maij.

Alexandriæ, natalis S. ATHANASII, *eiuſdem vrbis Epiſcopi, ſanctitate, & doctrinâ clariſsimi: in cuius perſecutionem, vniuerſus penè Orbis coniurauerat. Ipſe tamen Catholicam Fidem, à tempore Conſtantini, vſque ad Valentem, aduerſus Imperatores, Præſides, & innumeros Epiſcopos Arianos, ſtrenuè propugnauit: à quibus plurimas perpeſſus inſidias, profugus toto Orbe actus eſt, nec vllus ei tutus ad latendum ſupererat locus. Tandem ad ſuam Eccleſiam reuerſus, poſt multos agones, multaſq; patientiæ coronas, quadrageſimo ſexto ſui Sacerdotij anno, migrauit ad Dominum, tempore Valentiniani, & Valentis Imperatorum.*

S. Baſilius Magnus, Epiſt. 49. ad Magnum ATHANASIVM.

Quanto Eccleſiarum languores auctiores euaſerunt; tanto vniuerſi ad tuam conuertimur integritatem, vnam nobis malorum conſolationem in tuâ tutelâ relictam eſſe credentes; qui & precum virtute, & ſcientiâ rerum

gerendarum, quâ quid optimum factu sit, admonere potes, ex horribili istâ tempestate, conseruare nos ab omnibus, qui aliquantulum integritatem tuam, vel auditu, vel experientiâ cognouerunt, crederis.

Idem, Epist. 51. ad Eundem.

Quando ad honestam illam grauitatem tuam conuertimur, ac cogitamus, quòd te Ecclesiasticarum infirmitatum, Dominus noster medicum constituerit; animos resumimus, & ex desperationis lapsu, ad spem rerum meliorum erigimur.

S. Gregor. Nazianzenus, oratione de laudibus Athanasij Magni.

ATHANASIVM *laudans, virtutem laudabo. Idem enim est, illum dicere, quod virtutem laudibus efferre: quoniam virtutes omnes complexu suo tenebat. — Vnum ex omnibus virtutibus simulacrum, numeris omnibus absolutum edidit. — Apostolicè, & spiritualiter ad Marci Thronum euehitur, non minus pietatis, quàm primariæ Sedis* (dum *Primariam* audis inter Patriarchales intellige) *successor. — Vitâ quidem sublimis erat,*

erat, verùm animo humilis: atque eâ quidem virtute, vt nemo ad eam aſpirare poſſet: cæterum eâ comitate, vt ad eius congreſſum facilis omnibus aditus pateret. — Virgines Pronubum laudant: matrimonij iugo conſtrictæ, Moderatorem: qui ſolitariam vitam agunt, pennarum Accommodatorem: qui in Sodalitio viuunt, Legiſlatorem: ſimplices, itineris Ducem: ſpeculationi deditì, Theologum: hilares, frenum: calamitoſi, Conſolatorem: canicies, baculum: iuuentus, Pædagogum: paupertas, Suppeditatorem: diuitiæ, Diſpenſatorem.

Idem Gregorius Theologus, Orationem ſcripſit in laudem Heronis, in quâ hunc Theologum, & Iuriſconſultum vocat, *Oculum Orbis, Sacerdotum Antiſtitem, Vocem ſublimem, Fidei Columen, Chriſti Lucernam, Secundum Præcurſorem.*

Obijt Anno Chriſti 372. 2. Maij.

S. BASILIVS MAGNVS
EPISCOPVS, CONFESSOR, GRAECVS, CAPPADOX.

ASSERTIO IVRISPER.

Gregorius Presbyter, in vitâ S. Gregorij Nazianzeni.

Nihil eum fugit — non FORENSIS *Dictionis puritas.*

BASILIVM Magnum laudauit Gregorius Nazianzenus, & vicissim ab eo laudatus est: vterque hoc consecutus, vt laudaretur à laudatissimo viro. Certè Gregorius, miro loquendi modo, ait, se, & Basilium, LIBRAM fuisse. In funebri Basilij laudatione, *Nisi mihi hoc dictu nimis sit magnum*, inquit, *Libra inuicem eramus, in quâ expenditur id, quod rectum est, ac obliquum.* Ex hoc igitur magno Theologo, qui adeò accuratè Basilium suum expendit, quid de eo sentiendum sit, paucis audiamus.

In eadem oratione funebri, cum plerisque

risque omnibus Sanctis vtriusque Testamenti eum comparat, multis etiam præfert. Ex veteri affert Enos, Enoch, Noë, Abraham, Isaac, Iacob, duodecim Patriarchas, Ioseph, Iob, Moysen, Aaron, Iosue, Samuel, Dauid, Salomonē, Eliam, Eliseum, Tres Pueros, Danielem, Machabæos Fratres. Ex nouo, Baptisten, Petrum, Paulum, Iohannem Apostolum, Stephanum. His omnibus ostendit Basilium suum, vel parem, vel superiorem, vel certè accuratum Imitatorem. Vnum atque alterum referamus, ex quibus de reliquis fiat coniectura. *Ioseph*, inquit, *frumenti distributor fuit, sed in Aegypto solum, nec sæpius, & corporaliter quidem: Basilius verò omnibus distribuit, semper, & spiritaliter. Quod mihi distributione illâ longè venerabilius existit.* Iterum: *Moyses, & Aaron in Sacerdotibus eius: & magnus quidem Moyses, affligens Aegyptum, & populum saluans in signis multis, ac miraculis, nubem ingrediens, duplicem legem ferens, litteralem extrà, spiritalem intrà. Aaron autem Moysis frater, & corpore, & spiritu, pro*

Populo orans, ac ſacrificans; Tabernaculi ſacri,& magni,quod compegit Dominus, & non homo, Myſtes. Amborum horum Baſilius æmulator fuit, nequaquam corporalibus flagellis, ſed ſpiritalibus, & rationalibus,populum Hæreticum, & Aegyptiacum affligens. Deduxit autem Populum acceptum bonorum operum æmulatorem,ad terram Promiſsionis, tabuliſq; minimè frangibilibus, ſed duraturis, leges inſcripſit, non iam vmbratiles, ſed valdè ſpiritales.

At ne teſtimonium à tanto amico, & perpetuo laudatore, ſuſpectum ſit; ex Theodoreto hiſtoriam afferamus vnicam, ſed ſplendidam, & dignam tanto viro. Cùm Ariana Hæreſis Orbem corrupiſſet; ad Valentem etiam Imperatorem eius contages peruenerat. Qui cum eam quaquauerſum, quàm longiſsimè poterat, per ſe, perque ſuos emiſſarios, ſpargeret: Baſilium quoque aggredi eſt auſus. Sed,

—fragili cupiens illidere dentem,
Offendit ſolido.


Præfectum præmiſerat Imperator, impius

pius impium, qui animum tentaret Magni Pontificis. Is Amicitiam Principis proponit, iubetque considerare, quanti ea sit momenti. Respondet Basilius, se quoque magni eam facere, sed si pietati iuncta sit: sine quâ, exitiabilem potius esse contendit. Offensus Præfectus, Deliras, inquit, Basili. At ille: Aeternum velim hoc delirio laborare. Alius quispiam Parasitus, Dæmosthenes nomine, cum Episcopo minaretur, Rectius, ait Basilius, feceris, si solitam curam exercueris iusculorum condiendorum. Imperatoris iam partes erant, qui cum nec blanditijs proficeret, nec minis; eò tandem impietatis processit, vt tenebrarum filius Orbis terrę Lumen in exilium deportandum decerneret. Et iam scriptum erat sacrilegum de exilio Decretum: cui dum subscribere parat Imperator, vnus, alter, ac tertius calamus atramentum negauit. Pergebat nihilominus in eo quod cœperat: sed sedes, cui insidebat, confracta est, &, quod maius, improba manus concuti cœpit, & contremiscere.

Sic eius victa peruicacia. Neque hæc satis. Imperatoris filius graui morbo tenebatur: rogatus Basilius, accedit, sanitatemque pollicetur, si ab Orthodoxo quopiam Baptisma suscipiat; ac iam recreari puer incipiebat: Verum, accedentibus, patris iussu, improbis Arianis, confestim emoritur.

Obijt Anno Christi 778. 14. Iunij.

S. GRE-



S. GREGORIVS NAZIANZENVS, EPISCOPVS, ET ECCLESIAE DOCTOR,

Græcus, Cappadox, Nazianzenus.

ASSERTIO IVRISPER.

Gregorius Presbyter, in eius VITA.

Nihil eum fugit — non FORENSIS *Dictionis puritas.*

SCripſiſti tu tot Sanctorum Vitas, & Laudes, Gregori, magnus ipſe Sanctus. A te laudati Cæſarius frater tuus, Baſilius pluſquam frater, etſi non frater: Gorgonia ſoror, Pater Gregorius, Athanaſius Magnus, pari amore cum Patre, dilectus, Cyprianus Martyr, & alij complures. Iure igitur quæ alij Sancti, & magni Viri de te ſcripſerunt, hic deſcribam: ipſe verò tam ſterili, tam infanti calamo, de te tam fœcundo, tam facundo, nihil ſcribam.

S. Hie-

S. Hieronymus. Gregorij discipulus:

Gregorius, primum Sasimorum, deinde Nazianzenus Episcopus, Vir eloquentissimus, Præceptor meus, à quo Scripturas explanante didici. —

Ruffinus:

Gregorius, Vir per omnia incomparabilis, qui verbo, & operibus clarus, splendidissimum lumen scientiæ Christi Ecclesiis præbuit, dum ea docuit, quæ fecit: nec seipsum condemnauit, agendo contraria quàm docebat. — Huius neque vitâ aliquid probabilius, & sanctius; neque eloquentiâ clarius, & illustrius: neque fide purius, & rectius: neque scientiâ plenius, & perfectius, inueniri potest.

Suidas:

Præ Gregorio, Athanasius puer censebatur. — Gregorius Apollinario in dicendo grãdior, ac plenior: Basilio firmior erat. — Solo aspectu plerosque ad se allicere facillimè poterat. — Hoc vnum indignum virtute suâ passus est, quod principis Vrbis Cathedrâ expulsus est, improbiq; potius electi sunt, quàm qui virtute, ac vitæ splendore OMNES ANTEIBAT.

Simeon Metaphraſtes:

Si quidem apud homines exiſtere neceſſe erat effigiem quandam, & columnam, ex omnibus virtutibus conſtantem, hoc erat GREGORIVS.

Gregorius Presbyter huius noſtri Gregorij vitam ſic orditur: *Ad ſpirituale ſermonum Conuiuium, Viri Auditores, egregius ille Gregorius, cognomen à Theologiâ conſecutus, vos inuitat: atque ipſe in cibum materiæ expertem, offertur, epulumq́ corruptione omni ſublimius.*

S. Baſilius Magnus, Gregorij amicus, & Socius indiuiduus.

Vltimo loco hunc profero, qui dignam illam coronidem Gregorij laudibus imponat.

VAS ELECTIONIS, ET PVTEVS PROFVNDVS, OS DICO CHRISTI, GREGORIVM.

Obijt Anno Christi 389. 9. Maij.

S. AMBROSIVS ECCLESIAE DOCTOR,

Gallus, ex Romano Patre.

ASSERTIO IVRISPER.

Paulinus Presbyter, in vitâ S. Ambrosij ad B. Augustinum.

Professus in auditorio Prætorij Præfecturæ, ita SPLENDIDE CAVSAS PERORABAT, *vt eligeretur à viro Illustri Probo, tunc Præfecto Prætorij ad consilium tribuendum.*

APES tuas mihi adesse velim, Ambrosi, quæ Mel suggerant, quod aliàs tibi infanti in os ingesserunt. Nam eo Melle, pro atramento vti velim, non modò ob dulcedinem, quæ in mente, ac linguâ, calamoque tuo, perpetua fuit; etsi zeli diuini aceto necessariò opportunè mixta: verum etiam propter Auri colorem, qui vitam, resque tuas gestas, quouis obrizo pretiosius semper inaurauit.

uit. Sed frustra eas opto qui apud Paulinum Vitæ tuæ scriptorem lego, *eas euolantes, in tantam aëris altitudinem subleuatas, vt humanis oculis minimè viderentur.* Videlicet cælestes Apes Mel cæleste tibi instillauerant, quantum satis fuit, & reliquo secum ablato: nobis sepiæ, & loliginis succum reliquerunt Tamen eo vtemur, quando aliud suppetit nihil.

Adoleuerat hic beatus Infans suo melle saginatus, cum matrem, sororemque hortaretur, vt manibus eius oscula figerent, qui Episcopus aliquando futurus esset: siquidem aliorum Episcoporum manus exoscularentur.

Factus vtiq; est: sed miro modo. Dissidentem, & prope tumultuantem populum Mediolanensem in electione noui Antistitis, cum pro officio compesceret (erat tum Liguriæ, atque Aemiliæ præpositus) succlamauit è turbâ infantulus: *Ambrosius esto Episcopus*: DEO *ex ore Infantium, & lactentium* suam *laudem perficiente.* Arripuit populus ardentissimis votis, quod infans suggesserat: applau-

debantq; omnes, extra ipſum, cui plauſus dabatur. Vnus enim Ambroſius omnibus ſe opponēs, poſtquam multa obtenderat, cur ſacrum illum Magiſtratum capeſſere nequiret; ad extremum fugam arripuit; è quâ diuinitus retractus, factus eſt quod nolebat.

Iam verò Ambroſij *Epiſcopatum* quid memorem? Eſtne, qui eum ignoret? ſi eſt, conſulat Arianos, quos perpetuo inſectatus eſt, ipſe ab illis indigna ſæpè paſſus. Conſulat Arianam illam virginem impudentiſsimam, quæ ſacerdotali eius veſtimento manum auſa inijcere, ab eoque grauiter increpita; ſequenti die, comitante Sancto, tumulo illata eſt. Conſulat inconſultum Euthymium, qui eo carpento in exilium deportatus eſt, quod deportando Ambroſio ſtolidus parauerat. Conſulat Maximum Tyrannum, Domini ſui parricidam, qui Epiſcopo huic honorem habuit, à quo ex Eccleſiæ Cōmunione erat eiectus. Conſulat infelicem illum Sicarium, cuius in ſacroſanctum caput, dextera impium gla-

gladium vibrans, obriguit, nec nisi culpę agnitione sanata est.

Magna ista. Sed vt maiora dicamus, & paucis plurima; Imperator ab illo diris deuotus, non ante in Communionem receptus est, quàm publicam pœnitentiam exegisset. Fritigildis Marcomannorum Regina, Ambrosij famâ longè absens, auditâ, Christianæ Fidei doctrinâ ab eo imbui petijt, obtinuit, credidit. Nefarij Spiritus ab eodem coacti, hominum corpora reliquerunt. Protasius, & Geruasius, nobiles Christi Martyres, Ipsius potissimum operâ, cum diutissimè latuissent, Orbi Christiano se prodiderunt. Angelus eius Custos eum, qui Iustinæ pessimæ Principis iussu, Ambrosium insectatus erat, fateri coëgit, cùm à Carnifice ob maleficia torqueretur, grauius tamen ab ipso Angelo torqueri. Idem, siue alius Angelus Episcopo in aurem loquens, ab Ariano quopiam conspectus, fecit, vt ex Ariano euaderet Christianus.

Ad hæc tam magna addamus, quod omnino

omnino maximum eſt, & concludamus.

Ex morbo decumbens, Dominum IESVM vidit ad ſe accedentem, ſibique quàm blandiſsimè, atque amiciſsimè ARRIDENTEM: neque ita multo pòſt vita ſolutus eſt.

Id contigit Anno eiuſdem Chriſti 397. 7. Decembris.

S. SVL-



S. SVLPITIVS SEVERVS, EPISCOPVS GALLVS.

ASSERTIO IVRISPER.

S. Paulinus Episc. Nolan. Epist. I. ad Seuerum.

Tv — *in ipso mundi theatro, id est,* FORI *celebritate* DIVERSANS, *& facundi nominis* PALMAM *tenens.*

TAm suauis ista allocutio, etsi manca, & truncata, inuitat, vt plura ex eodem Paulino ad nostrum Sulpitium Seuerum audiamus: maximè cùm nec à nobis, nec aliunde meliora, imo nec paria, afferre possimus. Ergo idem, eâdem primâ Epistola, sic:

Tu, Frater dilectissime, ad Dominum, miraculo maiore conuersus es: (secum illum comparat) *quia ætate florentior, laudibus abundantior, oneribus patrimonij grauior, substantiâ facultatum non egentior, & in ipso adhuc Mundi Theatro; id est* FORI *celebritate diuersans, & facundi nominis palmam*

mam

mamtenens, repentino impetu discußisti peccati iugum, & lætalia carnis & sanguinis vincula rupisti.

Neque te diuitiæ de matrimonio Familiæ Consularis adgestæ: neque post coniugium peccandi licentia, & cælebs iuuenta, ab angusto salutis introitu, & arduo itinere virtutis, in mollem illam, & spatiosam multorum viam reuocare potuerunt. — Tu ergo verus factor Legis, & Euangelij non surdus auditor: qui corpus, & Mundum configens cruci, delicias iuuentutis, & vitæ præsentis mala gaudia, pro venenis, & luctibus auersatus es, respuens patrimoniorum onera, ceu stercorum. Idem Paulinus ad eundem, Epist. 3.

Lingua tua verba DEI *rorat: & cortuum fertile à* DEO *semen exceptum, spiritali fruge multiplicat; vt de fructibus tuis impleat manum suam messor, & sinum suum, qui manipulos colligit: hoc est, ipse* DEVS, *qui verbi in nobis sui & seminator, & messor est.* Item Epist. 5.

Te, victâ lege membrorum, & exteriore corrupto, puram consperſionem parare, & sine fermento azymorum Christo confici, eloquia tua,

tua, tam facunda, quàm casta testantur. Neque enim tibi donatum fuisset enarrare Martinum, nisi dignum os tuum, sacris laudibus, mundo corde fecisses Benedictus igitur tu homo, Domino, qui tanti Sacerdotis, & manifestißimi Confessoris historiam, tam digno sermone, quàm iusto affectu percensuisti.
Denique ex Epistolâ 14. hoc etiam fragmentum lege:


Ineffabile mihi est, quantâ me voluptate perfuderint (de ijs loquitur, qui à Seuero ad se venerant) *cùm referrent & actus, & sermones tuos, & perfectum cor tuum charitatis diuinæ scientiâ: quâ humilis, & excelsus; pauper, & diues; seruus, & liber; famulis, conseruus; fratribus seruus; pauperibus diues in visceribus misericordiæ; diuitibus pauper in spiritu mansuetudinis; humilis virtute pietatis; arduus sublimitate virtutis: & seruus* DEO, *liber Mammonæ: totum in te spirare Martinum, florere Clarum, maturari Euangelium prædicabant. Impinguarũt omnino oleo lætitiæ caput nostrum.*

Regrediamur ad Epistolam quintam, cuius hæc Sancti de Sancto verba, hoc nobis elogium claudant:

Verba tua vellera ſunt, & Dominum IESVM *gratiſſimo tegmine cooperiunt, cuius ſupellectili pulchrâ ambiunt, & ingenij tui floribus comunt. Veſtiet ille te viciſſim Agnus de ſuo vellere, in retributionis die, mortale tuum de ſuâ immortalitate ſuperinduens. Tu tantum noſtri memento, & nos reſpice, non retro ſpectans, ſed amici memor.*

Floruit cum Paulino, Anno Chriſti 400.

S. APER



SANCTVS APER EPISCOPVS, ITALVS.

ASSERTIO IVRISPER.

S.Paulinus, epist. 27. ad Aprum.

Nunc instructior iure diuino ADVOCATVS, *pro te postules; & iustior* IVDEX, *te ipsum iudices.*

PErgat S. Paulinus S. Apri laudes exequi: nemo laudator aptior. Neque facilè alibi reperias, quæ ille vidit; quæ gratulatus est. Eâdem Epistolâ:

Beatus es, Frater, & benè tibi erit; quia non carne, & sanguine, sed Spiritu cælestis Patris reuelante, didicisti, quod te inconcussâ fide tenere, & liberâ voce profiteri, sanctissimo ad me epistola tuæ fine firmasti.—

Rudem esse te, atque infantem ideo dices? verè quidem ex parte credo, paruulum esse te factum, sed malitiâ: sensu autem te esse perfectum, de professione fidei tuæ disco; quia veritatis agnitio, quam apprehendisti in sermone breuiato, sapientiæ plenitudo est.—

Iam

Verba tua vellera sunt, & Dominum IESVM *gratissimo tegmine cooperiunt, cuius supellectili pulchrâ ambiunt, & ingenij tui floribus comunt. Vestiet ille te vicissim Agnus de suo vellere, in retributionis die, mortale tuum de suâ immortalitate superinduens. Tu tantum nostri memento, & nos respice, non retro spectans, sed amici memor.*

Floruit cum Paulino, Anno Christi 400.

S. APER



SANCTVS APER EPISCOPVS, ITALVS.

ASSERTIO IVRISPER.

S. Paulinus, epist. 27. ad Aprum.

Nunc instructior iure diuino ADVOCATVS, *pro te postules; & iustior* IVDEX, *te ipsum iudices.*

PErgat S. Paulinus S. Apri laudes exequi: nemo laudator aptior. Neque facilè alibi reperias, quæ ille vidit; quæ gratulatus est. Eâdem Epistolâ:

Beatus es, Frater, & benè tibi erit; quia non carne, & sanguine, sed Spiritu cælestis Patris reuelante, didicisti, quod te inconcussâ fide tenere, & liberâ voce profiteri, sanctissimo ad me epistolæ tuæ fine firmasti.—

Rudem esse te, atque infantem ideo dices? verè quidem ex parte credo, paruulum esse te factum, sed malitiâ: sensu autem te esse perfectum, de professione fidei tuæ disco; quia veritatis agnitio, quam apprehendisti in sermone breuiato, sapientiæ plenitudo est.—

Iam

Iam & hanc gratiam mereris à Domino, vt te (ſicut indicare dignatus es , piè glorians) oderint omnes ; quod non fieret , niſi verus imitator Chriſti eſſe cœpiſſes. Non enim odiſſet hic mundus , niſi quod iam à ſe alienum , & ſibi videret aduerſum. Gaude , & exulta iam in rudimentis tuæ virtutis, PERFECTIONIS OPERATOR. — *Quanto prudentiorem te cæteris , & doctiorem fuiſſe meminerunt ; tanto euidentior ijs eſſe debet operatio potentiæ* DEI. — *Deſtructus es à ſuperbo, aſſumtus es in humilem.— Vbi nunc tu ille es, aliquando terribilis , vel pro tribunalibus* ADVOCATVS, *vel in tribunalibus* IVDEX ? — *Quis daret mihi pennas , ſicut columbæ , & volarem ad te , & in conſpectu tuo, colloquioq́ requieſcerem; in voce exultationis, & confeſſionis epularer? Videns te, non te , & videns ex leone vitulum , videns in* APRO *Chriſtum : nunc verſâ ferocitatis , aut virtutis vice,* APRVM *ſeculo, agnum* DEO. *Non enim iam de ſiluâ, ſed de ſegete* APER *es, duplicis Teſtamenti dentibus , ad rumpenda retia Nembroth venatoris , armaris : totaq́ illa , quæ præ ſeculo ſuperbus gere-*

gerebas, nunc aduersùm seculum humilis arma conuertis.

Aurea sanè ista omnia, & dicta à Paulino, & facta à nostro Aduocato & Iudice, Apro. Addo pauca ex Epist. 29. ad eundem Aprum, quam sic orditur:

Quis daret mihi fontem litterarum tuarum, vt respondere possem litteris tuis, vario gratiarum spiritalium flore consertis, nec iam scholastico magis, quàm diuino sermone facundis: & affluentibus (quasi de terrâ repromissionis diuinæ) lacte pietatis, & melle sapientiæ; cuius & mel, & oleum suxisti de firmâ Petrâ, id est, Christo Domino.

O si & nos inde sugamus! Sed plura de Sancto, apud Sanctum legat, cui lubebit.

Floruit cum Paulino, Anno Christi 400.

S. IOHANNES CHRYSOSTOMVS, ECCLESIAE DOCTOR, GRAECVS, Antiochenus.

ASSERTIO IVRISPER.

Breuiarium Rom. 27. Ianuarij.

IOHANNES *Antiochenus, propter aureum Eloquentiæ flumen, cognomento Chrysostomus, à* FORENSIBVS *& secularibus studijs, ad diuinas litteras, summâ cum ingenij, & industria laude, se contulit.*

IOue tonante, ait quidam, *silent ranæ.* Nec minus rectè ego dixero : Maiestate Imperatoria loquente, sileant hominum postremi. Scis, quid velim? Lector. Hunc Sacrosanctum Episcopum cum multi laudauerint, suis partibus deesse noluit *Leo Imperator*, cuius luculenta extat Oratio de hoc Sancto, Encomiastica. Longior ea est, quàm vt tota hîc describi posit. Audi initium, & Laudatore dignum, & laudato.

VIRI

VIRI *virtutem laudare iussus, viri, inquam, cui cognomen est* OS AVREVM, *puto à me exigi, vt flammeos currus ascendam, aut miracula ostentem Mosaïca. Perinde enim est, vt ego sentio, illa quempiam audere aggredi, & linguâ laudari linguam illam verè auream, & quæ vniuerso mundo seipsam præbuit pretium redemptionis.* Et aliquanto post: *Quisnam cernitur virum illum adeò ignorare, qui non solum vt mutus, & surdus, sit loquacissimus, sed etiam vt lapides clamorem emittant, creditur posse efficere?* Hęc pauca ex Magno Imperatore.

Reliqua (si tamen illis aliquid addendum videatur) vnde hauriemus? Vnde, nisi ex ipsomet, qui quouis Imperatore, quantumuis magno, multo ipse sit maior? Lege igitur eius Scripta: sed lege, quoad assequi potueris, eo spiritu, quo ipse scripsit: inuenies in omnibus *Chrysostomum*, id est verè OS AVREVM. Neque quoduis Aurum in eo reperies, sed Aurum IGNITVM, quo, si modo volueris, *locuples fias*, & diteris diuitijs cælestibus.

Attende quæ in Vetus Teſtamentum commentatus eſt: Videbis,cum de primis DEI operibus loquitur, ita loqui, vt ſi ipſis patrandis teſtis adfuerit, & Conditoris in ſingulis, mentem, & finem,ab ipſo Conditore didicerit. Cùm de Moyſe agit,eſt alter Legiſlator Cùm de Dauide,alter Pſaltes,aut Paſtor, vnico lapillo Goliatum, turrim carneam, circumactâ fundâ deijciens. Cùm de Elia, ſimul cum illo, Quinquagenarios, eorumque ſequaces, cæleſti igne conſumit. Cùm de tribus pueris, Angeli inſtar, in medio igne, & ipſe innoxius, & cantabundus inambulat.

Verte te ad Nouum Teſtamentum: dices eum cum Chriſto naſci, aut certè in Chriſto identidem renaſci: cum eodem docere & verbo, & exemplo: cum eodem viuere, pati, mori, reſurgere,aſcendere,&,vt magnum Sacerdotem decebat, quoad homini fas eſt, Spiritum S. impertiri. Epiſtolas magni Doctoris Gentium, cum cœpit attingere, attigit ſimul eius Spiritum Apoſtolicum. Neque

que adeò mirum eſt, quod omnino audacter credas licet, ſi idem Apoſtolus plurima illi dictaſſe exiſtimetur.

Iam verò quid de eius Concionibus dicamus? Multo rectius fecerit, qui eas diligenter lectitauerit, quam qui de ijs multa audire voluerit. Si dicam, mera eſſe tonitrua, fulgura, fulmina; adhuc infra iſtius Aurei Oris, & ſermonis dignitatem dixero. Itaque abſtineo manum.

Iudæos, Gentiles, Hęreticos, ita odit, vt peſſum dederit: ita amauit, vt Chriſtianos, Catholicos, Sanctos fecerit.

Auguſtos, & Auguſtas, viuus liberè monuit, liberè arguit. Si qui dyſcoli erant, eorum iniuſtitiæ, corpore, non animo ceſsit. Denique mortuus, vel intra paucos dies, ad magni Iudicis Tribunal euocauit; vel ad veniam ſuppliciter poſtulandam adegit.

Obijt Anno Chriſti 407. 27. Ianuarij.

S. HIERONYMVS

ECCLESIÆ MAGNVS DOCTOR, Stridonensis, Dalmata.

ASSERTIO IVRISPER.

Ipse S. Hieronymus lib. 1. in Epist. ad Galat. cap. 2. sic de se loquitur:

Aliquoties cùm Adolescentulus Romæ Controuersias declamarem, & ad vera CERTAMINA, *fictis me* LITIBVS *exercerem, currebam ad Tribunalia Iudicum.*

QVid dicam de hoc Sancto? Dic ipse tibi, Lector: quamquam quid ipse dicas? imo quid cogites? quid concipias? Potius lege ingentia illa eius volumina: aut quia vix sufficies legendis, quibus ipse scribendis minimè est fatigatus; vide saltem Librorum Lemmata. Reperies omnigenam Eruditioné, omnium reconditarum Linguarum Idiomata. Agnosces Dalmatam Stridonensem, in Latinâ Eloquentia, Ciceronem: in Græcis fulminibus, Demosthenem: in

in ſacris Hebræorum Adytis, alterum, ſi fas dicere, Iſaiam. Et idem intellige in Chaldæis, & Syris.

Omittamus prophanas eius Doctrinas, Grammaticam, Rhetoricam, Philoſophiam, IVRISPRVDENTIAM: ſacras quomodo omittemus? Et tamen quid de illis dicemus? cum de ijs nemo dignè loqui poſsit, niſi alius Hieronymus quiſpiam, qui nuſquam eſt. Duo genera tantum, ipſius bonâ cum veniâ attingamus, velut extremo digito.

Hæreticos, & Hæreſiarchas, quis vnquam vehementius inſectatus eſt? quis potentius confutauit, vicit, proſtrauit? Teſtentur apud inferos adhuc in eum dentibus ſtridentes, Pelagij, Arij, Vigilantij, & cæteræ peſtes; quæ ſenſerunt illum, vt *malleum conterentem petras*.

Diuinarum verò litterarum quis abditos ſenſus ſubtilius penetrauit? quis Myſteria clarius aperuit? quis Idiotiſmos familiarius vernaculis quaſi verbis eſt interpretatus? Non ingrediamur altius hoc Profundum, ne mergamur.

Hactenus ſic loquimur de eius Eruditione, ac ſi nihil ſit, quod de Virtute dicamus. Quod longiſsimè à vero abeſt. Vtraque illum improbis, Hæreticis imprimis, exoſum fecit, & formidabilem: ipſis quin etiam Dæmonibus, quorum tartareas artes, tentationeſque expertus, gloriosè ſuperauit. Vtraque probis commendauit, & maximè magnis Heroïbus, Orbis terræ luminibus, & in ijs, Damaſo Summo Pontifici, Auguſtino Magno Pontifici.

Virtutum eius Oceanum admirari magis, & venerari conueniat, quàm tentare. Riuulum ex eo diductum accedamus, & inde per modicum hauriamus, ipſo permittente, imo ſitulam commodante. Ipſius, inquam, verbis, virtutes eius quaſdam delibemus, non quaſlibet, ſed planè Heroicas. Quas cùm legeris, Herculis illius Augiæ ſtabulum, & reliqua facinora, fabulas, vti verè ſunt, & pueriles nænias, ipſe fateberis. Epiſtolâ ad Euſtochium 22. ita fatur.

O quoties ego ipſe, in Eremo conſtitutus,



& in illâ vastâ Solitudine, quæ exusta Solis ardoribus, horridum Monachis præstat habitaculum, putabam me Romanis interesse delicijs. Sedebam solus, quia amaritudine repletus eram. Horrebant sacco membra deformia, & squalida cutis situm Aethiopicæ carnis obduxerat. Quotidie lacrymæ, quotidie gemitus: & si quando repugnantem somnus imminens oppresserat, nudâ humo vix ossa hærentia collidebam. De cibis verò, & potu taceo, cum etiam languentes Monachi aquâ frigidâ vtantur, & coctum aliquid accepisse, luxuria sit. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum, tali me carcere ipse damnaueram, scorpionum tantum socius, & ferarum, sæpe choris intereram puellarum. Pallebant ora ieiunijs, & mens desiderijs æstuabat in frigido corpore; & ante hominem, suâ iam carne præmortuum, sola libidinum incendia bulliebant. Itaque omni auxilio destitutus, ad I E S V *iacebam pedes, rigabam lacrymis, crine tergebam, & repugnantem carnem hebdomadarum inediâ subiugabam. Non erubesco confiteri infelicitatis meæ miseriam; quin potius plango, me non esse, quod*

 fuerim.

fuerim. Memini me clamantem, diem crebro iunxisse cum nocte, nec prius à pectoris cessasse verberibus, quàm rediret, Domino increpante, tranquillitas. Sicubi concaua vallium, aspera montium, rupium prærupta cernebam; ibi meæ orationis locus, ibi illud miserrimæ carnis ergastulum: & vt mihi testis est Dominus, post multas lacrymas, post cælo inhærentes oculos, nonnunquam videbar mihi interesse agminibus Angelorum: & lætus, gaudensq; cantabam: Post te in odorem vnguentorum tuorum curremus.

Cucurristi, ô beate cursor: cucurristi, & peruenisti, & *Vnguentis* illis, meritissimus iam æternum perfrueris. Vtinam nos aliquando tecum! Neque ego post *Hieronymum*, aliquid de *Hieronymo* addam.

Obijt Anno Christi 420. 30. Septemb.

S. AV-

S. AVGVSTINVS
ECCLESIAE DOCTOR,
AFER, TAGASTENSIS.
ASSERTIO IVRISPER.

Ipse S. Augustinus, lib. 3.
Confess. cap. 3.

Habebant & illa studia, quæ honesta vocabantur ductum suum, intuentem FORA LITIGIOSA, *vt excellerem in eis.*

Sanctus AVGVSTINVS *Episcopus, Spiritu diuino actus, in Sanctâ Ecclesiâ Catholicâ, ad instructionem animarum, fecit Libros, Tractatus, Epistolas, numero* MILLE TRIGINTA: *exceptis ijs, qui numerari non possunt, quia nec numerum designauit ipsorum.* Verba sunt Posidonij ad finem Indiculi Operum S. Augustini.

QVibus verbis, si nihil addamus, tamen plus dixerimus de sancto Augustino (etsi pro eius dignitate, perpauca) quàm de multis alijs, etiam in DEI Ecclesiâ nobilibus, dici queat. Vtique cum

cum non modo plurima ſcripſerit, ſed & optima: & quod caput eſt vitâ ipsâ expreſſerit, quæ ſcripſit: & calamo quidem fuerit ſanctus, ſed moribus multo ſanctior. Sed vt ad ſcriptorum infinitam prope multitudinem redeam, occurrit, quòd Didymum Grammaticum refert Suidas vocatum fuiſſe χαλκέντερον, quaſi Aeneo eſſet pectore: idque ob hoc ſolùm, quod plurima legiſſet, plurima ſcripſiſſet. Non video, cur dubitemus, Auguſtinum noſtrum eâdem nuncupatione afficere; etſi Aere in Aurum commutato, rectius illum dixerimus χρυσέντερον. Scripta enim eius, non modo oſtendunt Pectoris eius robur, & firmitatem; verum etiam, Auri venam, perpetuò inde manantem.

Nam vt prætercam Grammatica, Muſica, Dialectica, Rhetorica, Geometrica, Arithmetica, Philoſophica: in Dialecticis oſtendit Auream Doctrinam: in Polemicis, Aureum ſcutum, Aureum Verbi Dei Gladium: in omnibus, Aureum ordinem, Aureum ſoliditatem,

Au-

Auream denique linguam, Aureum os. Inuenias in eius libris quid sit, *Aurum, Argentum, Lapides pretiosos ædificare*: sed in eius vitâ, ipsam ædificationem, ipsas Domos Aureas. Docet, Quid sibi velit, quòd Israëlitæ Auro, Argentoq; Aegyptios spoliarunt: ipse idem, sed multo generosius fecit, multo vtilius. Et quia parum est, Aurum habere, nisi rectè vtaris, docet te vti Auro, nobili illâ sententia, quâ ait: *Esto Dominus Auri, non seruus, quia & Aurum fecit* DEVS, *& te super Aurum.* O verè sententia ipsa hæc tua, Auree Augustine, *super Aurum, & Topazion*! In quâ desino, ne tuo Auro addam meas paleas.

Obijt Anno Christi 430. 28. Augusti.

S. GER-

Attende quæ in Vetus Teſtamentum commentatus eſt: Videbis, cum de primis Dei operibus loquitur, ita loqui, vt ſi ipſis patrandis teſtis adfuerit, & Conditoris in ſingulis, mentem, & finem, ab ipſo Conditore didicerit. Cùm de Moyſe agit, eſt alter Legiſlator Cùm de Dauide, alter Pſaltes, aut Paſtor, vnico lapillo Goliatum, turrim carneam, circumactâ fundâ deijciens. Cùm de Elia, ſimul cum illo, Quinquagenarios, eorumque ſequaces, cæleſti igne conſumit. Cùm de tribus pueris, Angeli inſtar, in medio igne, & ipſe innoxius, & cantabundus inambulat.

Verte te ad Nouum Teſtamentum: dices eum cum Chriſto naſci, aut certè in Chriſto identidem renaſci: cum eodem docere & verbo, & exemplo: cum eodem viuere, pati, mori, reſurgere, aſcendere, &, vt magnum Sacerdotem decebat, quoad homini fas eſt, Spiritum S. impertiri. Epiſtolas magni Doctoris Gentium, cum cœpit attingere, attigit ſimul eius Spiritum Apoſtolicum. Neque

Talis igitur Sanctus, Deo iubente, S. Amatore indicante, *Suscipit Sacerdotium inuitus*, inquit Constantius, *coactus, addictus: sed repente mutatur ex omnibus. Deseritur mundi militia, cælestis assumitur: seculi pompa calcatur, vxor in sororem ex coniuge mutatur, substantia dispensatur in pauperes, paupertas ambitur.*

Hæc, quamuis magna, rudimenta tantum erant maiorum. Hospitibus eius domus, sine discrimine maiorum, minorumvè patebat: pedes eorum abluebat, & conuiuium, ipse ieiunus, exhibebat.

In magnâ populorum frequentiâ, solitudinem, atque eremum ita adamauit, vt nouo inuento vtramque coniungeret, atque excoleret. Audi modum, admirare industriam.

In conspectu Antisiodorensis Oppidi, interposito Icaunâ flumine, Monasterium collocauit: atque hinc, Monachos, Monachus ipse, asceticam sanctitatem, verbo, exemploque edocuit; inde Christianum gregem, ad Christi præcepta

pta ſeruanda, optimns Paſtor aſsiduè hortatus eſt.

Neque contentus, Monachos, Chriſtianoſque excolere tum alia præſtitit multa; tum Mamertinum, Idolorum mancipium, ex Gentili Chriſtianum; ex Chriſtiano, ſanctum Monachum fecit. Parua loquor, dum in ſingulis hęreo; Britannorum Inſulam Pelagianæ hæreſeos peſtis inuaſerat, & poſsidebat. Eam ſanctus Germanus concionibus, diſputationibus, prodigijs diuinitus patratis penitus profligauit; & qui Angli erant, eos Angelos reddidit.

Vis etiam prælia? vis victorias? vis triumphos? Vide. In hos Anglos, & Angelos ab apoſtatis angelis immiſsi Saxones, Pictique, infeſti cooriuntur: trepidis, & imparibus futuris, adiungit ſe DEI Sacerdos, non ſocium modo, ſed & Ducem futurum, & Archiſtrategum. Britannorum multitudo ingens, paulò antè fide Chriſti ſuſceptâ, Paſchalibus ferijs, cęleſti lauacro tincta fuerat Quid tum? audi Conſtantium. *Madidus Ba-*

ptiſmate

ptiſmate procedit exercitus, — Germanus ſignifer vniuerſos admonet, & prædicit, vt voci ſuæ vno clamore reſpondeant — (Ecce tibi iterum Ioſue contra Iericho) *Alleluia, tertiò repetitum Sacerdotes exclamant. Sequitur vna vox omnium, & eleuatum clamorē, repercuſſo aëre, montium incluſa multiplicant. Hoſtile agmen terrore proſternitur, & ruiſſe ſuper ſe, non ſolum rupes circumdatas, verumetiam ipſam cæli machinam, contremiſcunt. — Vltionem ſuam innocens intuetur Exercitus, & victoriæ præſtitæ otioſus ſpectator efficitur. — Triumphant Pontifices, hoſtibus fuſis ſine ſanguine: triumphat Victoria, fide obtenta non viribus. Compoſitâ itaque opulentiſſimâ Inſulâ ſecuritate multiplici, ſuperatiſq; hoſtibus, vel ſpiritualibus, vel carne conſpicuis (quippe qui viciſſent Pelagianiſtas, & Saxones) cum totius mœrore Regionis, reditum moliuntur.* Hoc demum eſt pugnare, hoc vincere, hoc triumphare.

Nec hoc ſemel. Hæreſin eamdem in Angliâ iteratò pullulantem, tandem penitus extirpauit. Et, ne quid minus in

patriâ,

patriâ, quàm trans mare, patraret: nomine, & re barbarum Alemannorum Regem Eocharich, Aremoricanum tractum, barbarâ ferociâ, & Exercitu opprimentem, ſolus ipſe obuiam progreſſus, increpat inter ſuorum cateruas reſtitantem: & *ad extremum, manu iniectâ freni habenas inuadit, atque in eo loco, vniuerſum ſiſtit exercitum.*

Et nos hîc ſiſtamus, & cum cæleſti Exercitu beatam æternitatem adeuntem, votis, precibuſque proſequamur.

Id contigit Anno Chriſtiano 435. 31. Iulij.

C. SOL-



C. SOLLIVS SIDONIVS APOLLINARIS, GALLVS, AQVITANVS.

ASSERTIO IVRISPER.

Iuriſperitis illum accenſet Epitaphium illis verbis:

Rector militiæ, FORIQVE IVDEX.

DIVINVM DE EIVS SANCTITATE TESTIMONIVM.

DE hoc Sancto Aruernorum Epiſcopo, alteri item Sancto Epiſcopo credamus, atque eius non modo Authoritate, & Fide: ſed & verbis ad maiorem fidem, atque etiam gratam varietatem, vtamur. Is eſt Gregorius Turonenſis, qui in hiſtoriâ Francor. (:lib. 2.) ita de noſtro Beato Iuriſperito ſcriptum reliquit.

Defuncto apud Aruernos Namatio, Epiſcopo, ſucceſſit Eparchius vir ſanctiſsimus. Quo migrāte, SIDONIVS *ex Præfecto ſubſtituitur, vir*

vir secundum seculi dignitatem nobilißimus, & de primis Galliarum Senatoribus: ita vt sibi filiam Auiti Imperatoris in matrimonio sociaret. Cum autem esset magnificæ sancti-tatis, plerumque nesciente coniuge vasa argentea auferebat à domo, & pauperibus erogabat. Cumq; ad officium Dominicum fuisset mancipatus, & sanctam ageret in sæculo vitam, surrexere contra eum duo Presbyteri, & ablatâ ei omni potestate à rebus Ecclesiæ, arctum ei victum, & tenuem relinquentes, ad summam eum contumeliam redegêre. Sed non longi temporis spatio inultam eius iniuriam diuina voluit sustinere clementia. Nam vnus ex his, nequißimis, & indignis DEI *Presbyteris, cum ante noctem minatus fuisset, eum de Ecclesiâ velle extrahere, signum ad matutinas audiens fuisse commotum, feruens felle contra Sanctum* DEI *surrexit, hoc iniquo corde explere cogitans, quod die præcedente tractauerat. Ingressus autem in secessum suum, dum ventrem purgare nititur, spiritum exhalauit. Vnde indubitatum est, non minoris criminis huius reum esse, quam Arium illum, cui similiter in secessu fuere in-*

terna

terna deposita per partes inferiores egesta; quia nec istud sine hæresi potest accipi, vt in Ecclesiâ non obediamus Sacerdoti DEI*, cui ad pascendum oues commissæ sunt, & ille se ingerat potestati, cui neque à* DEO*, neque ab hominibus aliquid est commissum. Dehinc beatus Sacerdos, vno manente adhuc nihilominus inimico, suæ restituitur potestati.*

Factum est autem posthac, vt accedente febre, ægrotare cepisset: qui rogat suos, vt eum in Ecclesiam ferrent. Cumq; illuc inlatus fuisset, conueniebat ad eum multitudo virorum, ac mulierum, simulq; etiam & infantium plangentium, atque dicentium, Cur nos deseris, Pastor bone, vel cui nos, quasi orphanos derelinquis? Nunquid erit postmodum, qui nos sapientiæ sale sic condiat, aut ad Dominici nominis timorem, talis prudentiæ ratione redarguat? Hæc, & similia, populis cum magno fletu dicentibus, tandem Sacerdos, Spiritu in se Sancto influente, respondit: Nolite timere, ô populi, ecce frater meus Aprunculus viuit, & ipse erit Sacerdos vester. Qui non intelligentes, putabant eum loqui aliquid in ecstasi. Quo migrante, Presbyter

ter ille nequam, alter ex duobus, qui remanserat, protinus omnem facultatem Ecclesiæ, tamquam si iam Episcopus esset, inhians cupiditate præoccupabat, dicens: Tandem *respexit me* DEVS, *cognoscens me iustiorem esse* SIDONIO, *largitusq; est mihi hanc potestatem.*

Cumq; per totam vrbem superbus ferretur, adueniente die Dominico, qui imminebat post transitum Sancti viri, præparato epulo, iussit cunctos ciues in domo Ecclesiæ inuitari: despectisq; senioribus, primus recubuit in thoro. Cui oblato pincerna poculo, ait: Domine mi, vidi somnium, quod si permittis, edicam. Videbam hâc nocte Dominicâ, & ecce erat domus magna, & in domo erat thronus positus, in quo quasi Iudex residebat, cunctis potestate præstantior: cui assistebant multi Sacerdotum in albis vestibus: sed & promiscuæ populorum turbæ valdè innumerabiles. Verùm cùm hæc trepidus contemplarer, conspicio eminus inter eos Beatum astare SIDONIVM, *& cum Presbytero illo tibi carissimo, qui ante hos paucos annos de hoc mundo migrauit, attentè litigantem: quo*

deuicto,

deuicto, iubet Rex, vt in imis carceris angustijs retrudatur. Ablatoq; isto, contra te iterum suggerit, dicens: Te in eo scelere, propter quod ille prior damnatus fuerat, fuisse participem. Verùm vbi Iudex, quem ad te transmitteret, sollicitè cepit inquirere, ego me inter reliquos occulere cepi, & à tergo statui, tractans apud memetipsum, ne fortè qui notus sum homini mittar.

Dum hæc mecum tacitus voluerem, amotis omnibus, remansi solus in publico: vocatusq; à Iudice, propius accedo. Cuius virtutem, atque splendorem contuens, cepi hebes effectus, titubare præ metu. Et ille: Ne timeas, puer, inquit, sed vade, dic Presbytero illi, Veni ad respondendam causam, quia SIDONIVS *te accersiri deprecatus est. Tu verò ne moram facias, ad eundum, quia sub orandi* (:malim legere, *Iurandi*:) *testificatione mihi præcepit Rex ille, tibi hæc loqui, dicens: Si tacueris, morte pessimâ morieris. Hæc eo loquente, exterritus Presbyter, elapso de manu calice, reddidit spiritũ, ac de recubitu ablatus, mortuus sepulturæ mandatus est, possessurus infernum cum satellite suo.*

Hacte-

Hactenus ex Gregorio Turonenſi illuſtre de ſanctitate noſtri SIDONII teſtimonium. Cui, quo maior fides ſit, aſtipulatur Chronicon Comitum Andegauenſium illis verbis:

SIDONIVS *Aruernenſis Epiſcopus ſub Theodorico Iuniore claret. Hunc duo Presbyteri arcebant. Sed vnus eum eiecturus, emiſit interna per poſteriora: alter, eo mortuo, dum in locum Epiſcopi, ad Eccleſiam ſedet, pincernâ narrante viſionem, id eſt, quod eum* SIDONIVS *vocabat ad iudicium ante Iudicem, mortuus eſt.*

Sed ne quis queratur, de tanto viro ſolum illud teſtimonium, quantumuis Diuinum, afferri: viſum eſt eius Epitaphium hîc integrum deſcribere, vt Claromonte in Aruerniâ legitur: vbi Epiſcopus fuit: ex quo totius Vitæ velut Epitomen liceat colligere. In Editione Operum SIDONII Io. de VVouweren Pariſienſi, anni 1598. ita ad verbum habet, non ſine mendis, vt videtur, in poſtremis Verſiculis.

C. SOL-

C. SOLLIJ MODESTI SIDONII APOLLINARIS Epitaphium.

SANCTIS *contiguus, ſacroq́ patri*
Viuit ſic meritis, APOLLINARIS,
Illuſtris titulis, potens honore,
Rector militiæ, FORIQVE IVDEX,
Mundi inter tumidas quietus vndas.
Cauſſarum moderans ſubinde motus,
Leges barbarico dedit furori.
Diſcordantibus inter arma regnis,
Pacem concilio reduxit amplo.
Hæc inter tamen & philoſophando
Scripſit perpetuis habenda ſeclis.
Et poſt talia dona gratiarum,
Summi Pontificis ſedens cathedram,
Mundanos ſoboli refudit actus.
Quiſq; hic dum lachrymis DEVM *rogabis,*
Dextrum funde preces ſuper ſepulchrum,
Nulli incognitus, & legendus orbi.
Illic SIDONIVS *tibi inuocatur.*

XII. Kal. Septemb. Zenone Imp.

Floruit Anno Chriſti 480.

BOETIVS

CONSVL, ET MARTYR, ROMANVS.

ASSERTIO IVRISPER.

Procopius Belli Goth. lib. I.

Philosophiæ supra cæteros, & AEQVITATI *studuit.*

Ipse Boëtius, lib. I. de Consol. Phil.

Meministi (Philosophiam alloquitur) *vniuersi innocentiam Senatus, quātâ mei periculi securitate* DEFENDERIM. Loquitur de Defensione quæ in FORO, & IVRE fit.

SEd quid egò probare conor, Boëtium fuisse Iurisperitum? ipsa Iurisprudentia, si tota perijsset, in solo Boëtio reperiri posset, aut ab ipso solo à mortuis excitari. Itaque alia potius ex eius Vitâ, Eruditione, Virtutibus, non tam dicamus, quàm libemus, & maximè ex ipsiusmet Boëtij libris hauriamus: quoniam

niam neque eſt, qui eius res accuratius ſciat; neque qui narret fidelius. Igitur lib. 1. de Conſol. Phil. eius ſunt inter alia, iſta:

Tu mihi, & qui te Sapientium mentibus inſeruit DEVS, *eſtis conſcij, nullum me ad Magiſtratum, niſi commune bonorum omniũ ſtudium detuliſſe. Inde cum improbis graues, inexorabileſq; diſcordiæ fuêre, & (quod Conſcientiæ libertas habet) pro tuendo* IVRE, *ſpreta potentiorum ſemper offenſio. — Quoties miſeros, quos infinitis calumnijs, impunita barbarorum ſemper auaritia vexabat, obiecta periculis authoritate protexi? Nunquam me à* IVRE *ad iniuriam quiſquam detraxit. — Cum acerbæ famis tempore, grauis, atque inexplicabilis indicta coëmtio, profligatura inopia Campaniam Prouinciam videretur; certamẽ aduerſus Præfectum Prætorij, communis commodi ratione ſuſcepi; Rege cognoſcente contendi: & ne coëmtio exigeretur, euici.* Adeſte, Iuriſperiti: hunc ſpectate, hunc tamquam nobile Exemplar, vobis proponite imitandum. Habetis, quâ ratione Iuriſprudentiam ve-

ſtram rectè, & Chriſtianè impendatis. Sed plura de ipſo, ab ipſo audite.

Paulinum Conſularem virum, cuius opes Palatini Canes iam ſpe, atque ambitione deuoraſſent, ab ipſis biantium faucibus retraxi. Ne Albinum, Conſularem virum præiudicatæ accuſationis pœna corriperet, odijs me Cypriani delatoris oppoſui.

Magnæ omnino virtutes iſtæ, & quas Theologi Heroïcas vocare ſolent. Viſnè etiam aliquid de tanti viri Eruditione? Accipe ab impio Rege Theodorico, qui antequam in hunc Martyrem ſæuiret, ita ad illum ſcribebat, apud Caſsiodorum, lib. 1. Epiſt. 45.

Hoc te multâ eruditione ſaginatum ita noſſe didicimus, vt artes, quas exercent vulgariter neſcientes in ipſo diſciplinarum fonte potaueris. Sic enim Athenienſium Scholas, longè poſitus introiſti: ſic palliatorum choris miſcuiſti togam, vt Græcorum dogmata doctrinam feceris eſſe Romanam.—Tranſlationibus tuis Pythagoras Muſicus, Ptolemæus Aſtronomus leguntur Itali: Nicomachus, Arithmeticus, Geometricus Euclides audiuntur

tur Ausonij: Plato Theologus, Aristoteles Logicus Quirinali voce disceptant: Mechanicum etiam Archimedem, Latialem siculis reddidisti. Et quascunque disciplinas, vel artes fœcunda Græcia per singulos viros edidit, te vno authore, patrio sermone Roma suscepit. Quos tantâ verborum luculentiâ reddidisti claros, tantâ linguæ proprietate conspicuos, vt potuissent & illi opus tuum præferre, si vtrumque didicissent.

Nihil dicit hic Rex de Boëtij sacrâ Eruditione, quæ in eo fuit vel maxima. Itaque dum carcere propter virtutem teneretur, scripsit & nobiles illos de *Consolatione Philosophiæ*, Libros, & de *SS. Trinitate*, vt alia omittam.

Mortem potius magni huius Senatoris audiamus, si tamen mori potuit homo immortalis. Mortuus planè ést, sed *morte pretiosâ in conspectu Domini*, cuiusmodi esse solet *Mors Sanctorum eius*. Hãc etiam alienis verbis narrabo, ne quis de meo aliquid me addidisse existimet, cum tam stupenda audierit. Igitur ita Iulius Martianus in Boëtij Vitâ.

Ticini incolæ ſemper à maioribus traditum conſtanter aſſeuerant, Seuerinum, cum regius ſpiculator letale vulnus intuliſſet, vtrâque manu diuulſum caput ſuſtinuiſſe: interrogatumq́; à quónam ſe percuſſum exiſtimaret? Ab impÿs reſpondiſſe. Atque ita cum in vicinum templum veniſſet; & flexis genibus ante Altare SACRA PERCEPISSET; *poſt paullulum expiraſſe. Extinctus* DIVINOS HONORES *à noſtris conſecutus eſt, quod* PRO CATHOLICIS, CONTRA PERFIDIAM ARII, MORTEM SVSTINVERIT.

Obijt Anno Christi 526.

SYM-

SYMMACHVS CONSVL, ET MARTYR, ROMANVS.

ASSERTIO IVRISPER.

Procopius, Belli Goth. lib. 1.

Philosophiæ supra cæteros, & AEQVITATI studuit.

HIc ille est Symmachus IVRISCONSVLTORVM decus, ille Martyr, Boëtij Iurisconsulti, & Martyris Socer, tum ab alijs laudatissimis Viris; tum ab ipso genero Boëtio magnificè commendatus. Boëtij iam commendationem, tamquam domesticam, omittamus. Aliorum de ipso testimonia hoc breuissimum ipsius elogium nobis potius conficiant. Ad hunc igitur Librum suum de Ponderibus, & Mensuris Priscianus Cæsariensis misit, quem ita exorsus est:

Omni te, Symmache, nobilitatis splendore celebratum, ac omni naturæ munere præstantem, omni virtutis luce fulgentem: studijs etiam optimarum artium, disciplinarumq;

 floren-

florentem, iustißiméq; prospera fortuna meritis vitæ probantem, fama quidem antea nobis absentem, venerabilem faciebat: nunc autem præsentem, veritas supergressa laudes prædicationis ostendit. Mediocritatis enim altißima, quâ superbiæ calcas tumores, & pietatis ponderibus grauißimis superas omnia.

Ennodius porrò, Romanos Ciues clarissimos enumerans, & Festum Symmacho iungens, de ijs ita scribit:

Festus, & Symmachus, omnium disciplinarum materia, & constantes formâ Sapientiæ, de Vrbe sacratißimâ non recedunt. In ipsis est nobilis Curiæ Principatus: quos vidisse, erudiri est. Non apud eos sermo de ludicris, nec pantomimorum vix cognoscenda commemoratio. Isti auram popularem, per pudoris detrimenta non cupiunt; contenti rectis magis placere, quàm plurimis. Sortiuntur de innocenti actione testimonium.

Audi & Procopium lib. I. de Bello Gothico, qui indignissimam eius necem, à tyranno Theodorico illatam, ita describit.

Symmachus, & huius gener Boëtius, à suis

suis maioribus gentis nobilitatem adepti, inter Romanos, & Senatorios viros, principes erant, & Consulatus vtrique dignitate perfuncti, Philosophiæ supra cæteros, & æquitati studuerunt: multisq; tam Ciuium quàm externorum inopiæ succurendo saluti fuerũt. Hi postquam ad ingentem gloriam euasêre, deterrimos quosque in sui inuidiam concitârunt. Nam his delatoribus Theodoricus Rex persuasus, Symmachum, Boëtiumq; perinde ac res nouantes occidit, eorumq; bona omnia publicauit. Vide, an dubitari poſsit, hosce verè eſſe *Martyres*, qui pro Iuſtitiâ ſanguinem fuderint, vitamque adeò ipſam. Sed ſi quid dubij eſſet, id ſuſtulit incorruptus Iudex, & vltor DEVS. Pergit Procopius:

Sed paucis post diebus, cœnanti sibi (Theodorico tyranno) *cum miræ magnitudinis piscis ministri decoctum caput apposuissent, Symmachi nuper occisi caput, illi est visum, præfixis, & extantibus inferiore in labro dentibus, & toruè intuentibus oculis, furibundè sibi, & acerbè comminari. Vnde monstri nouitate territus, membrisq; præter modum tre-*

tremebundus, & rigens, in cubiculum statim citato gradu secessit: identidemq́ iubendo, togarum vt sibi vim magnam ingererent, lecto decubuit, & parumper quieuit. Elpidio *deinde medico, omnibus, quemadmodum accidissent, diligentius explicatis, in Symmachum, Boëtiumq́ à se scelus patratum deflebat. Quo denique deplorato ex acceptâ calamitate, dolore ingenti affectus, haud longè post moritur.* Ista Procopius. Magna planè sunt ista. Sed quod est omnium maximum audiamus à Pontifice Maximo, Gregorio Magno: qui in Dialogis suis, lib. 4. cap. 30. Iulianum Defensorem narrantem audiuerat, quæ ego hic totidem verbis ponam, vel potius verba ponam Solitarij cuiusdam magnæ virtutis (vt illum S. Gregorius vocat) quæ pater soceri illius Defensoris ex ipsomet Viro Dei audierat. Sunt ista:

Mortuus est Rex Theodoricus: nam hesterno die horâ nonâ, inter Iohannem Papam, & Symmachum Patricium, discinctus, & discalceatus, & vinctis manibus deductus, in hanc vicinam Vulcani ollam iactatus est.

Veracem fuiſſe narrationem, inde colligit Sanctus Pontifex, quod cùm procul abeſſet Solitarius ille à Rege Theodorico (quippe in Inſulâ Lypari habitabat) non niſi diuinitus eodem die, quo contigit, eius mortem reſcire potuit.

Sed quænam illa Vulcani olla? Audi ipſum Theodoricum Regem, dum homicidam quemdam, in eam Inſulam deportari iubet, ſic eam deſcribentem, apud Caſsiodorum lib. 3. c. 48. *Ardet continuò inter vndas medias, montis quantitas indefectâ.— Potentia ſiquidem diuina, ſic de contrariјs rebus miraculum facit eſſe perpetuum, vt palam conſumta, occultiſsimis inſtauret augmẽtis.* Huc homicidam mittit: Homicida Rex ipſe eodem miſſus eſt.

Obijt Anno Chriſti 526.

S. EBRVLPHVS ABBAS, GALLVS.

ASSERTIO IVRISPER.

Vita antiquitùs Gallicè conſcripta.

Childebertus Rex, eius nominis primus, eum creauit Magiſtrum Libellorum Supplicum: eratq; Orator facundiſſimus, aptiſſimus CAVSIS AGENDIS *inter Aulicos.*

TAntus cum eſſet Ebrulphus in Aulâ Regis magni, multo maior euaſit in Aulâ Regis Maximi; Cuius vt audiuit diuinam illam vocem: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me: protinus eam regulam ſibi ſequendam putauit.* Itaque parentibus ortus, non modò illuſtribus, ſed & copioſis: cùm etiam vxorem haberet pari nobilitate, & opibus: vxorem quidem ſanctis Chriſti ancillis, volentem commendauit; opes verò in egenos vniuerſas erogauit.

Tum

Tum liber,& expeditus,eremum petens cum ſocijs aliquot, deducente DEI Angelo, in locum venit; ſitu quidem aſperum, & horridum, ſed cryſtallinis fontibus irriguum. Ibi, cum tuguriola aliquot, arborum ramis, & ceſpite contruxiſſet; & vni DEO, ſalutique ſuæ vacarent: quanto magis latêre peroptabant, tanto maiores ad eos concurſus fiebant, Chriſtianarum virtutum odore alliciente.

Itaque qui ignotum viuere ſe poſſe ſperauerat; poſtulantibus tot fidelium cœtibus, ne talenta ſibi concredita abſcondere videretur,eò deuenit,vt quindecim Monaſteria extrueret,& regeret: in quibus non tantum viri; ſed & ſacræ Virgines angelicam inter homines vitã ante exutam mortalitatem, ducebant. Omnino cellulæ mille, quingentę fuiſſe ſcribuntur.

Poteram hic longum texere virtutum eius catalogum: poteram Miraculorum (in quibus illud ad æternam memoriam illuſtre, Quod cum ex eius alumnis vnus

nus, non perceptâ Euchariſtiâ defunctus eſſet; eatenus illi vitam reſtituit, dum diuino iſto viatico muniretur) ſed ſolitæ breuitatis memor, de extremo vitæ eius actu, illud ſolum dicam, Languebat, deficiente natura Senex octogenarius: & ſorte Chriſti, ad quem anhelabat, amore magis languebat. Afferebat ad eum pro ſe quiſque vel cibi, vel potionis, quod afflictum recreare poſſe exiſtimabat: at ille, reiectis omnibus, ipſos ſeptem, & quadraginta dies, ſolo Chriſti ſanctiſsimo Corpore, & ſanguine refocillatus, tranſegit: cum interea non ceſſaret pro more, fratres ſuos diuinis monitis confirmare.

Verus hîc, vti ſemper ſermo tuus, Chriſte, Veritas ęterna, quo dixiſti, Miniſtros tuos, non modo æqualia; ſed maiora etiã facturos, ijs, quę tu Omnipotens patraſti. Quadraginta dies ſine corporeâ eſcâ aliquando in deſerto vixeras: Ebrulphus tu⁹ ad hũc numerũ, ſeptenos addidit. At tu illi infinitas beatitudinis æternitates.

Ad illas migrauit anno Chriſti 525. 29. Decemb. Hæc ex Vitâ quæ apud Surium, 29. Decemb.

AVRELIVS CASSIODORVS, CONSVL, ROMANVS.

ASSERTIO IVRISPER.

Theodoricus Rex, lib. 1. Variarum Casſiod. Epiſt. 4. ad Senatum Rom.

Vixit tantâ cōtinentiâ, vt AEQVITATEM *&* INSTRVERET *monitis, & doceret exemplis.*

ALloquar te, Magne Caſsiodore in huius modici Elogij principio, ijs verbis quibus allocutus te eſt tuus Rex, Theodoricus, cum te ad Comitatũ euocaret. *Conuenit etiam te requiri, qui noſtra feciſti eximiè tempora prædicari. Ornaſti conſcientiæ integritate Palatia: dediſti populis altam quietem. Hinc omnibus factus notior: quia multi te poſitum in poteſtate neſciunt; præſentati autem tribunalibus,* IVDICEM *ſine aliquo damni terrore viderunt: pretioſior factus cunctis, quia nullo præmio vendebaris. Quis talem non deſideret videre, cui nos publicè conſtat gratiam contuliſſe?*

Nam

Nam qui alterum reprimere conati sumus, te etiam Palatio teste, laudauimus.

Hæc Regi de te credere debemus, Cassiodore Palatium pro teste producenti, qui vitâ, & factis Palatio te maiorem ostendisti, dum Palatium ipsum sancto Monasterio commutasti: memor illius: *Nolite confidere in Principibus*; magisque probans *abiectionem in Domo* DEI *tui*, *quàm habitare in Tabernaculis peccatorum.*

In eo Monasterio, facilè credi potest, quàm sanctè vixeris, quæ vitâ, & Scriptis docueris, qui in vitâ Aulicâ & Senatoriâ, *in medio nationis prauæ*, tam fueris incorruptus. Regem paulò antè de te loquentem audiuimus: teipsum iam potius audiamus, tanto Rege maiorem, quanto te abijcis magis. Audi illum, Lector, Præfectum Prætorio factum, ad Iohannem Roman. Pontificem, scribentem, lib. XI. Epist. II.

Supplicandum vobis est, Beatissime Pater, vt lætitiam, quam per vos, DEO *largiente percepimus, custodiri nobis vestris orationi-*

bus

bus sentiamus. — Cælestis princeps mihi filio vestro intelligentiæ sensus aperiat, vt quæ verè sunt vtilia, sequar, quæ vitanda, refugiam: Vigor ille rationabilis animæ nobis consilium præstet; facies veritatis albescat; ne mentem nostram innubilet caligo corporea. Sequamur quod intus est, ne foris à nobis simus: instruat, quod de verâ sapientiâ sapit: illuminet, quod cælesti claritate resplendet. Talem denique IVDICEM *excipiat publicus actus, qualem Filium Catholica mittit Ecclesia. — Monete, quæ sunt gerenda solicitè: benè agere vel correptus exopto; quia difficilius errat ouis, quæ voces desiderat audire Pastoris. — Sum quidem* IVDEX *Palatinus: sed vester non desinam esse discipulus.*


O verè Humilitatis Magister! ô verè Christi Discipulus, dū eius Vicarij adeò impensè vult esse Discipulus! Quàm benè meminit, & amat illud, *Qui se humiliat, exaltabitur!*

Concludo verbis celeberrimi Annalium Scriptoris Baronij, Christi Anno 562. *Qui vegetiorem ætatem in optimâ regni guber-*

gubernatione vtiliter, honorificèq; consumsit; nec in decrepitâ senectute, labores, ad res diuinas conuersos, vel minimum intermittens, in suo Monasterio tandem sancto fine quieuit.

Nempe Anno Christi 562.

SAN-



SANCTVS GREGORIVS MAGNVS, PAPA, ET CONFESSOR, Romanus.

ASSERTIO IVRISPER.

Iohannes Diaconus, Vitæ S. Gregor. lib. 1. cap. 4.

Conuersionis suæ gratiam protrahens, tutius se Christo famulaturum putauit, si sub PRAETORIS VRBANI *habitu mundo speciet enus deseruiret,*

Ipse S. Gregorius VRBANA PRAEFECTVRA se functum testatur lib. 3. Epist. 2.

LOquatur Orbis Vniuersus Virtures, & Immortalia Opera huius mortalis Angeli, & immortalis hominis.

Loquantur tota Monasteria, quæ fundauit, quibus prȩfuit, quȩ Legibus optimis, & melioribus Exemplis, tēperauit.

Loquantur Legationes quas obiuit: Hæretici, quos reuicit, quos conuertit: Episcopi, & totȩ Ecclesiȩ, quas correxit.

Loqua-

Loquatur Pontificatus, quem inuitus, & diuinitus coactus, suscepit, sanctitate illustrauit, summâ prudentiâ gessit, pari constantia defendit.

Loquantur Concilia, & Synodi, quas congregauit, quibus per suos Legatos præfuit, quas confirmauit, quarum Decreta accuratè seruari curauit.

Loquatur, & deprædicet Orbis terræ Caput, Roma, cui litterarum studia, mores Christianos, virtutes reduxit.

Loquatur præ omnibus Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum Mater, & Magistra, hunc Patrem hunc Magistrum nacta: qui eam antiquæ dignitati restituit, & talem, qualis sub Apostolis ipsis prima floruerat.

Loquantur nihilominus adiuncti huic Ecclesiæ tot populi, ac in primis Saxones Angli, huius Angeli operâ, ipsi Angeli facti.

Loquantur peruicaces anathemate percussi; & sic defuncti, anathemate post mortem soluti.

Loquantur Pueri Ethnici, magno ære ad

ad hoc emti, vt Christianis doctrinis imbuerentur, Christo renascerentur, Christo viuerent, & in Christo morerentur.

Loquantur & perfidi Iudæi, Christo adiuncti, impietate, & pecuniarijs pensionibus liberati.

Loquantur Xenodochia ab eo erecta, optimis legibus constituta, reditu annuo liberalissimo dotata, optimis Rectoribus subiecta.

Loquantur Eleemosinæ publicæ, priuatæ, quibus omni hominum generi, munificentiâ Regiâ prospectum.

Loquatur Mensa ipsa Gregorij, non magis Grogorij quàm Pauperum, quos ille secum adhibebat; loquantur hi ipsi pauperes: sed inter eos loquatur cum Pauperibus aliquãdo admissus Angelus.

Loquatur præ omnibus (cuius virtute & gratia, hæc omnia patrabat magnus hic Pontifex) Christus IESVS ad ipsam eandem mensam & ipse pasci dignatus.

Nos verò impares minimæ eius actioni exponendæ, sileamus.

Vt tamen habeant Iurisperiti, quibus potißimum hæc scribimus, quo zelo arderet hic magnus Iurisperitus Iustitiæ, etiam Vindicantis, refero breuißimè historiam, quam de eo affert Io. Diaconus, lib. 2. cap. 43. eamque de Iudice, Iuris non nimium amante. Is cum ob relictam Coniugem à S. Pontifice, æquitatis amantißimo, communione priuatus fuisset: consultis Magis, id obtinuit, vt cum ad stationem ipse Pontifex eques proficisceretur, immisso Cacodæmone adeò eius quadrupes vexaretur, vt nec à Sessore, nec à famulitio, iam cohiberi posset. *Tunc Gregorius*, inquit Diaconus, *reuelante Spiritu sancto, Dæmoniacam immißionem cognoscens, facto crucis signaculo, tam caballum à præsenti rabie liberauit, quàm Maleficos perpetuâ cæcitate multauit. Quos reatum suum, suggestione incesti Iudicis, confitentes; ac postmodum ad sacri baptismatis gratiam venientes, luminibus quidem, ne Magiam relegerent, reddere noluit: eos tamen Ecclesiasticâ stipe nutriri præcepit.*

Obijt Anno Christi 604. 12. Martij.

S. IOHANNES DAMASCENVS, PRESBYTER ET CONFESSOR, SYRVS, Damascenus.

ASSERTIO IVRISPER.

Ioannes Patriarcha Hierosolymitanus, in Damasceni Vita.

Sarracenorum Dux Iohannem inter primos CONSILIARIOS *constituit.* Iterum ibid. *Esto posthac* PRIMVS A CONSILIIS *nostri Principatus*, *& absque* CONSILIO, *requisitioneq́ tua prauiâ, nihil agetur.*

HVnc Ioannem *Chrysoroam* dictum fuisse testatur Theophanes, quòd merum *Aurum* ex eius vitâ, scriptisque, tamquam è clarissimis Fontibus, effluerer. Auitum ei cognomen erat *Mansur*, quod vernaculâ voce *Redemptum* interpretari licet. Cæterum vulgò, *Damascenus à Damasco* Patriâ vocitatus est.

Hic igitur natus, vbi Apostolus in Christo renatus, & ex Saulo, Paulus factus

ctus: ibi vterque cælesti Philosophiâ instructus, & ille huius æmulator egregius, tamquam si illi peculiariter ab isto dictum esset illud : *Imitator meus esto, sicut & ego Christi.* Neque errare mihi videor, si dicam à Magno Gentium Doctore illi Præceptorem missum, *Cosmam* illum, admirabilem Ascetam, à quo & morum sanctitatem, & scientiarum omnium consummatam Encyclopædiam, tenerioribus adhuc annis, pleno pectore auidus hauriret.

Ab hoc Cosmâ, vt Paulus ab Ananiâ, institutus Ioannes Damasci, & Damascenis suis, & Orbi vniuerso euasit tamquam alter Doctor Gentium. Testes diuini illi libri, quos de Fide Orthodoxa edidit: quos etsi rectè inchoat ab illa dilecti Discipuli diuina sententia, DEVM *nemo vidit vnquam:* ita tamen in ijs loquitur, vt ipsi singulariter illud cõuenire videatur, quod mox adiungit Iohannes, *Vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* Et quidem etiam illud rectè, In DEO quædam esse ἄῤῥητα,

quædam

quædam ῥητὰ: ipsi tamen Damasceno, si fas dicere, nihil ἄῤῥητον fuisse videtur, sed omnia nota, omnia *effabilia*, quantum in hominis mentẽ, hâc adhuc mortalitate circumfusam, cadere potest. Liceat & ex alijs eius operibus immortalitate dignissimis, testimonia alia haurire, si cui vacet, & lubeat; maximè ex eo, quod scripsit de Diuino, & verè Angelico Cantico TRISAGIO, & ex *Historiâ* illâ Mysteriosâ de *Barlaam & Iosaphat*: qui partus ab alio ingenio, quàm beatissimi Damasceni, prodire non potuit. Et quidem de eius scriptis tantillum hausisse sufficiat. Accipe iam tantundem de eiusdem Vitâ, id est, guttam ex Oceano.

Pro Sacris Imaginibus, earumque veneratione, hic venerandus, cum tam solidè, & sapienter, quam apertè & clarè scripsisset: lumen tantum non ferens obscœnus ille vespertilio, Leo Isaurius Imperator, verè crudelitate leo, ac sic mõstrum è vespertilione, & Leone mixtum: vide, quemadmodum cælesti igne accensam facẽ, extinguere aggressus sit.

Mittit ad Sarracenorum Principem,(cui à Consilijs Iohannes erat) epistolam, tamquam à Iohanne ad ipsum Leonem datam; quà se Ciuitatis, Principatus, & Domini sui proditorem profitebatur, si Imperator eo vti vellet. Ea epistola, etsi ab improbo scriba, improbioris Domini iussu, assimilato Iohannis charactere cõficta erat: tamen præpropere credulus Sarracenus Iohanni dexteram, quæ tantum nefas ausa esset, amputari iubet, nequicquam DEVM, hominesque testanti, ac tempus modicum, innocentiæ suæ ostendendę, flebiliter postulanti. Verum cum non audiretur, hoc saltē iam truncatus rogat, vt manus, quę ad ludibrium, & exemplũ in foro, triste spectaculum, pendebat, sibi remittatur. Redditam coram Deiparæ Imagine, exanimem, & exanguem expandit: brachio restitui, & reconnecti rogat, & Diuâ in somnis assistente, momento obtinet. Hæc illa dextera est, quæ immortalia illa volumina conscripsit, quæ antè memoraui: ac in primis Magnę Matris Virginis laudes,

&

& debitã sacris Imaginibus veneratione.

Iam Asceta factus, quis enarret, quæ exhibuerit Humilitatis, Obedientiæ, Caritatis, Silentij, aliarumque virtutum exempla? Hoc vnum habe, in quo desinam. Iussit aliquando eius Magister magnum corbium numerum (erat ea textura Monachis tum familiaris) Damascum à Iohanne deferri, ibique vænum exponi, neq; aliter distrahi, quam præscripto pretio; id erat duplum, supra fas, moremque. Lætus Damascum Iohannes petit; corbes exponit: sed pro pecuniâ irrisionem refert, & conuitia ab indignantibus, aut stoliditatem ridentibus.

Erat Iohannes vultu pallido, & ab ieiunijs exsucco, & exangui: vestitu obsoleto, & lacero. Agnitus tamen à quodam curiosius intuente, & considerante; ac simul reputante, quo semet abijceret, ille, non multò antè eadem in Vrbe tam inclytus; admiratione in miserationem versâ, sportulas omnes tanti, quanti indicabantur, coëmit, Iohannemque ad Magistrum, gratulabundum dimisit.

Floruit Anno Christi 725. Obijt 6. Maij.

S. HVBERTVS

I. EPISCOPVS LEODIENSIS, GALLVS, AQVITANVS.

ASSERTIO IVRISPER.

Antiquus Author vitæ Sancti HVBERTI parte I. c. I.

HVBERTVS *erat* COMES PALATII.

HIc paulum hęrendum, Lector amice, vt tibi explicem, quâ ratione, Comitem esse Palatij secum trahat, Esse IVRISCONSVLTVM. Hauriam aliquid ex ijs, quæ ipse scripsi in Notis meis ad illud, cap I. n.17. vbi ita aio:

Hi Comites in Galliâ esse solebant IVDICES *Ordinarij*. Itaque Gregorius Turonensis, de S. Nicetio agens, Armentarium Comitem ait, *Lugdunensem Vrbem* POTESTATE IVDICIARIA *gubernasse*. Carolus Magnus in Capitulari, lib. 4. cap. 5. vetat, *Comitem de* IVSTITIA FACIENDA *se excusare*; iubetque *vt* SCABINOS *suos habeat*. Vide idem Capitul.

Capitul. lib.2. cap.6. Hæc æquo,& erudito homini cuiuis sufficient, vt S. HVBERTVM, PALATII COMITEM IVRISCONSVLTVM fuisse, sibi persuadeat.

Iam, de eius Vitâ, Sanctitate, Virtutibus,quid ego hic multis agam,cum totam eius Historiam volumine satis amplo, ante plures annos ediderim? Inde petat, cui lubebit. Quia tamen liber ille non omnibus ad manum est: pauca, & strictim ista indico:

S. HVBERTVS nobilissimâ stirpe editus, (quippe Parente vtroque è Regio Francorum sanguine, longâ serie propagato) condigno studio, & ab illis, & à sanctissimâ Matronâ Odâ, amitâ suâ,ad pietatem educatus est. Vix adoleuerat, cum truculenti illius Ebroini tyrannidem fugiens, in Austrasiam, ad cognatum Principem Pipinum venit.

Venationi dum operam dat, Crucifixi inter cerui cornua, prodigioso conspectu recreatus,& sermone instructus, Lambertum Sanctum Pontificem adit; à

S. HVBERTVS
I. EPISCOPVS LEODIENSIS, GALLVS, AQVITANVS.

ASSERTIO IVRISPER.

Antiquus Author vitæ Sancti HVBERTI parte I. c. I.

HVBERTVS *erat* COMES PALATII.

HIc paulum hęrendum, Lector amice, vt tibi explicem, quâ ratione, Comitem esse Palatij secum trahat, Esse IVRISCONSVLTVM. Hauriam aliquid ex ijs, quæ ipse scripsi in Notis meis ad illud, cap I. n.17. vbi ita aio:

Hi Comites in Galliâ esse solebant IVDICES *Ordinarij*. Itaque Gregorius Turonensis, de S. Nicetio agens, Armentarium Comitem ait, *Lugdunensem Vrbem* POTESTATE IVDICIARIA *gubernasse*. Carolus Magnus in Capitulari, lib. 4. cap. 5. vetat, *Comitem de* IVSTITIA FACIENDA *se excusare*; iubetque *vt* SCABINOS *suos habeat*. Vide idem Capitul.

Capitul. lib. 2. cap. 6. Hæc æquo, & erudito homini cuiuis sufficient, vt S. HVBERTVM, PALATII COMITEM IVRISCONSVLTVM fuisse, sibi persuadeat.

Iam, de eius Vitâ, Sanctitate, Virtutibus, quid ego hic multis agam, cum totam eius Historiam volumine satis amplo, ante plures annos ediderim? Inde petat, cui lubebit. Quia tamen liber ille non omnibus ad manum est: pauca, & strictim ista indico:

S. HVBERTVS nobilissimâ stirpe editus, (quippe Parente vtroque è Regio Francorum sanguine, longâ serie propagato) condigno studio, & ab illis, & à sanctissimâ Matronâ Odâ, amitâ suâ, ad pietatem educatus est. Vix adoleuerat, cum truculenti illius Ebroini tyrannidem fugiens, in Austrasiam, ad cognatum Principem Pipinum venit.

Venationi dum operam dat, Crucifixi inter cerui cornua, prodigioso conspectu recreatus, & sermone instructus, Lambertum Sanctum Pontificem adit; à

quo in alium virum, DEO intus operante mutatus: nihil prius habuit, quàm vt à se pœnas exigeret ob vitam superiorem, iuuenili licentiâ, minus ex pietate actam.

Tum eodem Numine instigante, Romam petijt, Principum Apostolorum sacra pignora veneraturus. Ibi de cari Magistri Lamberti pretiosâ morte diuinitus admonitus & ipse, & Pontifex S. Sergius, piam altercationem ineunt; dum HVBERTVM Sergius Tungrensem Episcopum esse iubet, HVBERTVS indignum se eo fastigio clamitans, oblatam dignitatem refugit. Litem diremit DEI Angelus, Pontificalia Martyris Lamberti & indumenta, & ornamenta afferens: diremit & DEI Mater, prodigiosam illam stolam mittens, quæ hodieque, post octo seculorum volumina, post quotidianos ferè forficis morsus (vtar S. Paulini verbis, dum de Christi Cruce loquitur) *In materiâ insensatâ vim viuam tenens; ita ex illo tempore, innumeris penè quotidie hominum votis, lignum suum*

(byssum,

yſum, aurumvè ſuum) *commodat, vt rimenta non ſentiat, & quaſi intacta maneat, quotidie diuiduam ſumentibus; ſemper totam venerantibus.*

Sed hæc pluribus, & explicatius mihi ripta ſunt in Hiſtoriâ.

Redit cum Stolâ ſanctâ Epiſcopus HVBERTVS, & Vitam verè Epiſcopalem git; id eſt Virtutibus eo gradu dignis oruſcantem; quas hîc non attingam, ne ongius, vel inuitus abripiar.

Poſt annos vitæ ferè 72. Epiſcopatus 31. ſanctiſsimè moritur Chriſti Domini anno 727.

Eum Miracula, & diuinitus patrata Prodigia ita toto orbe celebrem reddiderunt, vt perpetuo eius, ac multiplici cultu, ex eo tempore, multifariam propagato, vel parum Chriſtianus cenſeatur, qui ad ſolum HVBERTI auditum nomen, non tangatur religione: vel planè idiota, qui illud, eiuſque gloriam ignoret.

Obijt Anno Chriſti 727. 3. Nouemb.

quo in alium virum, Deo intus operante mutatus: nihil prius habuit, quàm vt à se pœnas exigeret ob vitam superiorem, iuuenili licentiâ, minus ex pietate actam.

Tum eodem Numine instigante, Romam petijt, Principum Apostolorum sacra pignora veneraturus. Ibi de cari Magistri Lamberti pretiosâ morte diuinitus admonitus & ipse, & Pontifex S. Sergius, piam altercationem ineunt; dum Hvbertvm Sergius Tungrensem Episcopum esse iubet, Hvbertvs indignum se eo fastigio clamitans, oblatam dignitatem refugit. Litem diremit Dei Angelus, Pontificalia Martyris Lamberti & indumenta, & ornamenta afferens: diremit & Dei Mater, prodigiosam illam stolam mittens, quæ hodieque, post octo seculorum volumina, post quotidianos ferè forficis morsus (vtar S. Paulini verbis, dum de Christi Cruce loquitur) *In materiâ insensatâ vim viuam tenens; ita ex illo tempore, innumeris penè quotidie hominum votis, lignum suum*

(byssum,

y ſſum, aurumvè ſuum) *commodat, vt*
trimenta non ſentiat, & quaſi intacta
rmaneat, quotidie diuiduam ſumentibus;
ſemper totam venerantibus.

Sed hæc pluribus, & explicatius mihi
ripta ſunt in Hiſtoriâ.

Redit cum Stolâ ſanctâ Epiſcopus HVBERTVS, & Vitam verè Epiſcopalem
igit; id eſt Virtutibus eo gradu dignis
coruſcantem; quas hîc non attingam, ne
longius, vel inuitus abripiar.

Poſt annos vitæ ferè 72. Epiſcopatus
31. ſanctiſsimè moritur Chriſti Domini
anno 727.

Eum Miracula, & diuinitus patrata
Prodigia ita toto orbe celebrem reddiderunt, vt perpetuo eius, ac multiplici
cultu, ex eo tempore, multifariam propagato, vel parum Chriſtianus cenſeatur, qui ad ſolum HVBERTI auditum
nomen, non tangatur religione: vel planè idiota, qui illud, eiuſque gloriam
ignoret.

Obijt Anno Chriſti 727. 3. Nouemb.

quo in alium virum, Deo intus operante mutatus: nihil prius habuit, quàm vt à se pœnas exigeret ob vitam superiorem, iuuenili licentiâ, minus ex pietate actam.

Tum eodem Numine instigante, Romam petijt, Principum Apostolorum sacra pignora veneraturus. Ibi de cari Magistri Lamberti pretiosâ morte diuinitus admonitus & ipse, & Pontifex S. Sergius, piam altercationem ineunt; dum Hvbertvm Sergius Tungrensem Episcopum esse iubet, Hvbertvs indignum se eo fastigio clamitans, oblatam dignitatem refugit. Litem diremit Dei Angelus, Pontificalia Martyris Lamberti & indumenta, & ornamenta afferens: diremit & Dei Mater, prodigiosam illam stolam mittens, quæ hodieque, post octo seculorum volumina, post quotidianos ferè forficis morsus (vtar S. Paulini verbis, dum de Christi Cruce loquitur) *In materiâ insensatâ vim viuam tenens; ita ex illo tempore, innumeris penè quotidie hominum votis, lignum suum*

(byssum,

(byssum, aurumvè suum) *commodat, vt detrimenta non sentiat, & quasi intacta permaneat, quotidie diuiduam sumentibus; & semper totam venerantibus.*

Sed hæc pluribus, & explicatius mihi scripta sunt in Historiâ.

Redit cum Stolâ sanctâ Episcopus HVBERTVS, & Vitam verè Episcopalem agit; id est Virtutibus eo gradu dignis coruscantem; quas hîc non attingam, ne longius, vel inuitus abripiar.

Post annos vitæ ferè 72. Episcopatus 31. sanctisimè moritur Christi Domini anno 727.

Eum Miracula, & diuinitus patrata Prodigia ita toto orbe celebrem reddiderunt, vt perpetuo eius, ac multiplici cultu, ex eo tempore, multifariam propagato, vel parum Christianus censeatur, qui ad solum HVBERTI auditum nomen, non tangatur religione: vel planè idiota, qui illud, eiusque gloriam ignoret.

Obijt Anno Christi 727. 3. Nouemb.

B. GODEGRANDVS

EPISCOPVS METENSIS, GALLVS, LEODIENSIS.

ASSERTIO IVRISPER.

Molanus in Natalib. SS. Belgij, die 6. Martij ex Vitâ B. Godegrandi.

Carolus Martellus eum in Aulam vocauit, & à CONSILIIS *suis esse iußit: in quâ functione, se Clericorum, & Monachorum Patronum, &* ADVOCATVM *præbuit.*

PAuca de hoc B. *Godegrando* (alij *Grodogandum* vocant) mihi legere contigit: sed in quibus multę eminent, & magnæ virtutes.

Ei pater Illustris Comes Sigramnus: mater, Landrada, Pipini Maioris neptis, Caroli Martelli filia. Totâ vitâ pietati; adolescens litteris operam nauauit: in vtrisq; plurimum profecit. Prima rudimenta inter Ascetas Monasterij S. Trudonis posuit: extremam manum Me-

tæ

tæ (nota, & nobilis vrbs eſt) impoſue-
runt.

Eum ex Hasbaniâ oriundum, pater-
nis opibus opulentiſsimum, Epiſcopum
ſibi Metenſis Clerus legit: quem ſacrum
Magiſtratum etſi ſedulus obibat: nihilo
ſecius Palatij Princeps, Galliæ totius
Dux, & CONSILIARIVS porro erat.
Ei Stephanus Pontifex (quem Gode-
grandus in Galliam deduxit) non modo
Pallium, Archiepiſcoporum geſtamen,
conceſsit; ſed & per totas Gallias, Epiſ-
copos initiandi poteſtatem. Pater pau-
perum audiebat: Eccleſiam ſuam Me-
tenſem tum reditibus annuis auxit, di-
tauitque: tum optimis præceptis im-
buit, additis ſanctæ potiſsimum vitæ ſuæ
exemplis.

Quinetiam Canonicos intra eadem
tecta coactos, Religioſorum more, ſimul
viuere inſtituit. Eiuſdem Eccleſiæ inte-
rius Sanctuarium, regio ſplendore ædi-
ficauit, ornauitque.

Duo Monaſteria extruxit, & opulen-
tâ dote conſtabiliuit.

Iterum Romã profectus, Paulo Pontifice, tria Sanctorum Corpora ab eo obtinuit, secumque in Galliam reuexit, Gorgonij, Naboris, & Nazarij.

Inter hæc, sui contemtor egregius, habitu vilissimo vtebatur; sic, vt qui aliunde non nôsset, ex habitu non agnosceret: imo qui satis nosset, abiecto circumdatum schemate, penè ignoraret.

Horrido cilicio, ac perpetuo ieiunio corpus spiritui subditum premebat.

Denique, *Fuit mitior columba*, (verba sunt Authoris) *clementior agno*, *innocentior vitulo*.

Vitam hanc desijt Anno Christi, Dei-Hominis 765. & beatiorem, virtutum suarum dignum præmium, inchoauit, 6. Martij.

S. CA-

S. CAROLVS MAGNVS IMPERATOR, GALLVS.

ASSERTIO IVRISPER.

Eginardus in vita Caroli Magni.

Si Comes Palatij litem aliquam esse diceret, quæ sine eius iussu definiri non posset; statim litigantes introducere iussit, & veluti pro TRIBVNALI *sedens* LITE COGNITA, SENTENTIAM DIXIT.

QVid attinet, plura afferre, quibus hunc Imperatorem *Iuris* fuisse *peritum* ostendatur, cum grandia volumina extent LEGVM, *& Ecclesiasticarum, & Ciuilium*, ab ipso editarum? Collegit eas, & Capitulorum vocabulo edidit Ansegisus, Abbas Lobiensis. CAROLVM hunc meritò MAGNVM Maiores nostri dixêre. Quamquam rectius Maximum, siue potius ter Maximum, aut TRISMEGISTVM dixissent.

Per-

Percurre mecum, Lector, & recogita huius Herois res geſtas, vel bellicâ gloriâ, vel Chriſtianæ pietatis miraculo illuſtres, & verè Heroïcas.

Saxones domuit, & iugo ſuo, & Chriſti ſubiecit: eoſdem rebellantes ter binis vicibus ad officium reduxit. Hunnos, Sclauos, Dalmatas, cum circumiectis vicinis; Nauarros, Hiſpanos, VVandalos, Aquitanos, Longobardos, Bohemos, Nortmannos, ſiue Dános, facili negotio, armis deuicit. Harum nationum pleriſque Chriſtianam fidem intulit, aut labefactam reſtituit. Templa, Baſilicas, Palatia plurima, Regio opere extruxit. Concilia, & Synodos, aſſentiente, & laudante Rom. Pontifice, plura denis celebrari curauit. Nec facilè bellum aliquod aggrediebatur, niſi Antiſtitum prius conuentu coacto, & conſulto.

Romam, Chriſtianæ Religionis arcem, quater adijt, tum pietatis causâ; tum vt Summum Pontificem, vel contra calumnias, vel contra impia arma tueretur.

In omnes quidem Ecclesias: sed maximè in Romanam, munificentissimus fuit, cui, vt alia sileantur, Saxoniam subiecit, Gallias fecit vectigales, cum se & filium, & defensorem Ecclesiæ vocari vellet.

Totum Orbem liberalitate suâ, sed potissimum pauperes, ornauit. Neque inter hæc studiorum oblitus est. Bonas litteras excoluit, tum ferè iacentes. Euangelia cũ Græcis,& Syriacis Exemplaribus collata, emaculari curauit. Idola passim contriuit, eorum Templa solo æquauit, vel in Dei Ecclesias transformauit, metamorphosi beatâ.

Quid igitur mirum, si talem virum, Leo 3. Pontifex, inuitum licet, & renitentem, Rom. Imperatorem pronuntiauit, & suis manibus coronauit? Audi Cleri, & Pop. Rom. tum repetitam tertio acclamationem:

CAROLO PIISSIMO AVGVSTO, *à* DEO CORONATO, MAGNO, *Pacifico*, IMPERATORI ROMANORVM, VITA, *&* VICTORIA.

cem Agrippinensium , pacem fecit, annoq́ M.XXI. XI.Kal.Maias pretiosâ morte vitam commutauit. Situs est Leodij in septo Diui Laurentij. Maternum traxit genus (vt tradunt) ex domo clarißimorum Principum Flandriæ. nam Gothofredi Ducis Montani erat Filius, ex Iohannâ Filiâ Comitis Flandriæ Balduini Iunioris, Monachus Stabulaunicus, Decanus Ecclesiæ Traiectensis in Frisiâ, Sacerdos Henrici Augusti (Est hic S. Henricus, cuius vxor S. Kunegundis, vterque in coniugio Virgo)*ac Regni Cancellarius, Leodiensis ad postremum Episcopus.*

Tanto ardore orasse traditur, vt continenti poplitum flexione grandes genibus obduxerit callos. Frigoris, vigiliæ, inediæ, adeò patiens, vt asperâ sapè hyeme, nudis pedibus in templis pernoctaret. Maximus egenorum amator, & adiutor. Vir antiquâ fide, & virtute, magnâ eruditione, perspicaci ingenio, ac gyganteâ, vt ferunt, staturâ. Hæc omnia, Meyerus. Ex Anselmo verò ista; quæ refero, partim illius, partim meis verbis:

Sacram Scripturam, non modò lecti-

tabat

tabat assiduè, sed & ipsemet (ô occupationem Sancto Pontifice dignam!) diligenter docebat.

Ieiunio pasci videbatur, potiùs, quàm cibo: qui vbi sumendus erat, ex appositis vilissima quæque eliţabat: lautiora pauperibus distribui iubebat.

Cùm accideret, nihil restare, quod mendicis largiretur, tapetia, aliamvè Ecclesiæ supellectilem vel donabat, vel commodabat, donec ab œconomo redimerentur.

Illud planè memoriâ, & imitatione dignissimum. Nescio, quâ de causâ offensus Imperator, VVolbodoni minus se pacatum exhibebat. Eum cum placandum vir sanctus iudicaret; pecunias alicunde colligens, Coloniam properabat oblaturus. Sed pauperum memor, Cur non potius, inquit, pauperum parentem, cæli Regem, beneuolum nobis reddamus? quo vtique conciliato, etiam mortalis Imperatoris gratiam sperare liceat, cum cor Regis in manu Dei sit. Et cum dicto, quidquid argenti collegerat,

rat,in egenos nocte erogauit. Mira omnino est vis virtutis, mirus splendor. Imperator, qui pecuniam auidus (fama afferri vulgauerat) expectabat, vbi sancti Episcopi factum audiuit; adeò non ægrè tulit, vt vltro etiam collaudaret: & *ex splendido illo sui contemtu, vnde amplius eum laudaret, inuenerit.*

Neque contentus VVolbodo, Cæsaris sibi gratiam conciliasse; Sancto etiam Heriberto, Coloniensi Archiepiscopo in re simili, operam dedit: & eo quidem successu, vt cùm eum Imperator iniurijs multis indigné affecisset: monente B. VVolbodone, supplex illi fieret, & à Sanctissimo Antistite veniam postularet.

His, alijsque pietatis studijs immorans, cælo iam maturus, à S. Laurentio de imminente corporis dissolutione admonitus, paulò pòst cum eo ad illum migrauit, æternum victurus, cui vterque vitam, mortemque suam consecrauerat.

Id accidit, vt suprà tetigi, anno 1021. 21. April.

S. LIET-

B. LIETBERTVS EPISCOP. CAMERACENSIS, GALLVS.

ASSERTIO IVRISPER.

Baldericus Nouiomensis, & Tornacensis Episcopus in Chronico Cameracensi, & Atrebatensi, lib. 3. cap. 61.

Gerardus Pontifex fecit illum(Lietbertum) *semper consistere in præsentiâ suâ, & lateri suo adhærere: & in* IVDICIIS *suis, tam* PVBLICIS, *quàm priuatis*, AVDITOREM *in primis, & mox* IVDICEM, *insistere.*

Molanus in Natalib. SS. Belg. 23. Iunij, ait, fuisse *Consulem populorum, &* IVDICEM *multiplicium causarum.*

NObili stirpe satus hic Lietbertus, è Prouinciā Brachatensi, nobiliter à Gerardo Episcopo educatus, ipsi suo Educatori in Episcopali Sede succesit, à B. Vedasto tricesimus primus Cameracensis,

censis, & Atrebatensis Antistes, sacrum illum Principatũ capessiuit anno 1050. at eo, & simul vitâ defunctus est anno 1076.

Præter Iudicis munus, etiam *Archidiaconatu, & Præpositurâ*, inquit Baldericus, à Gerardo donatus est. *Quibus acceptis honoribus ita vtebatur, vt maioribus perfruendis dignior iudicaretur.*

Et verò perfruitus est. Nam aliquanto post, sublato rebus humanis Gerardo, iubente Henrico Imperatore, Cameracensis Episcopus renuntiatur cũ plausu omnium planè extraordinario, &, vt sic dixerim, Paradoxo. Etenim nobile illud Ecclesiæ Canticum, *Te* DEVM *laudamus*, à Diuis Ambrosio, & Augustino olim compositum, & rebus lætissimis decantari solitum, ipse Cæsar, suauiter modulans inchoauit, & cum Clero, ac Populo Ecclesiam petens, ad finem vsquè est prosecutus.

Tam læta initia res deinceps non perinde prosperæ exceperunt. Redeunti nouo Pontifici Iohannes quidam, homo ambi-

ambitiofus, & violentus, Ciuitatis ingreffum negat, nifi Caftellani officium ipfi conferat. Sed turpiter ipfe Iohannes à Comite Flandriȩ expellitur: Lietbertus gloriosè ingreditur, officiumq; memoratum Hugoni legitimo hæredi defuncti Caftellani, vt decebat, concedit.

Pupugit ea res Iohannem. Itaque ad Imperatorē profectus, eum contra Lietbertum, fimulque Flandriæ Comitem vehementer accendit. Qui iræ impotens, exercitum in Comitis terras rapit, eafque depopulatus, igni, ac ferro vaftat. Lietbertus nihilo fecius, Iuftitiæ retinens, nouum Caftellanum tuetur. Sed vrgente Imperatore, vt Caftellatura (fic Baldericus vocat) Iohanni concedatur; primum animi incertus Lietbertus, tandem malis coactus, potentiori cedit. Rebus tamen Lietberti fapientiâ compofitis, cum Hugo iterum caftellaturam adeptus, tyrannum potius ageret, quàm Caftellanum; & ab Epifcopo excommunicatus, vicinum Cameracenfi Ciuitati locum muniuiffet, indeque latronum

num in morem,prædas ageret; ab Episcopo inde eiectus est. At Hugo Episcopum,oues suas(vt bonum Pastorem decebat) regionatim visitantem, pressius obseruans, in pago quodam quiescentem obruit,&nudum capit, abducitque. E cuius tamen manibus ereptus Lietbertus, istis, totque alijs calamitatibus fortissimè,atque constantissimè superatis; ad Religionis, ac Munificentiæ studia conuertit animum.

Nam & Dei Genitricis Ecclesiam Cameraci magnis reditibus auxit: & sacrosancti Sepulchri Dominici Monasterium extruxit, dotauitque.

Demum, cum reuerendâ canitie caput albêret; emorienti iuuentutis florem,coloremque redijsse, obseruauêre, qui aderant: vtique vt intelligeretur, *renouatam* item, *vt aquilæ*, animi eius *iuuentutem*, æternùm in cælo vernare.

Obijt Anno Christi 1076. 25. Iunij.

S. KA-

S. KANVTVS
DANIAE REX, ET MARTYR,
DANVS.

ASSERTIO IVRISPER.

Saxo Grammaticus, Hiſtor.
Danicæ lib. xi.

Probatioris IVSTITIAE *cultum ſeueriſsimis edidit* INSTITVTIS.

ETiam REGES in hoc IVRISPERITORVM Theatrum producimus. An ſi Iuſtinianus, Sanctus fuiſſet, dubitaret quiſquam eum Sanctis Iuriſconſultis accenſere, qui Iuriſprudentiam ita diſpoſuerit, & ediderit, vt pro eius Authore haberi queat? An ſi Hippocrates Medicinam nunquam exercuiſſet, ſcripſiſſet autem ea Præcepta, quæ ſcripſiſſe ſcimus; negaremus Medicum fuiſſe? Vitruuius nihil fortè vnquam ædificauit: non tamen ideo Architectum fuiſſe inficiabimur, qui eam Artem ſic tradiderit, vt ex eo, tamquam Principe, omnes Architecti hauſerint. Quid igitur ob-
ſtat,

ſtat, quo minus Regem hunc noſtrum, Iuriſperitum, & quidem maximum, agnoſcamus, qui in ſuo Regno id præſtiterit in Iure reſtituendo, quod Iuſtinianus in Romano præſtitit Imperio?

Cum Magnatum inſolentiâ, inquit Saxo, *ſolutos hebetatoſq; priſci* IVRIS *neruos aſpiceret, omnibus ingenij modis, ad reparandam patrij moris diſciplinam conniſus, probatioris* IVSTITIAE *cultum ſeueriſſimis edidit inſtitutis: contuſumq;, & labentem* AEQVITATIS *tenorem in priſtinum habitum reuocauit. — Omnia antiquæ conſuetudinis momenta præcurrens, labefactatum* IVRIS *vinculum tenaciſſimo nexu aſtrinxit.*

Præclaræ hæ laudes, & planè Regiæ. Sed nec aliæ innnumeræ deſunt ei, qui omnibus virtutibus heroicis cumulatus fuit.

Adoleſcens adhuc & penè puer *Myoparonum Piratica monſtra perdomuit. Sembicis, atque Eſtonicis illuſtrem trophæis adoleſcentiam egit, nouiſq; virium gradibus paterni roboris fundamenta tranſcendit.*

Sacros homines adeo eſt veneratus, vt

vt non contentus omni eos liberalitate profequi: *cum ab inerti, & rudi populo, parum iuſtam Pontificibus venerationem haberi conſpiceret: ne tanti nominis potitores inter priuatos relinqueret, decreti circumſpectioris induſtriâ—ipſis primum inter Proceres locum, perinde ac Ducibus, aſsignauerit, authoritatem honore concilians.*

Eius porro in ſacra loca munificentia, quanta fuit! Audi (vt de alijs ſileatur) de vnicâ *Aede Laurentianâ*, in cuius *primâ Dedicationis die, Rex ſolemniter Altaria veneratus, quartam regij numiſmatis: quartam ſuæ in ciues exactionis; quartam æſtiui cenſus portionem, ei, qui pro tempore loci Antiſtes extiterit, muneris loco perpetuo iure poßidendam conceßit.*

Cæterarum eius Virtutum ne nudum quidem indicem anguſta hæc pagella capit. Quæ Virtutes, quantumuis & plurimæ, & maximæ, nec ſubditorum, nec proprij ſanguinis inuidiam, inſidias, crudelitatem auerterunt. Nam & iuuenis adhuc, *deficientibus à ſe copiis*, (quę poſt patris mortem, fratri eius Haraldo, ig-

nauiâ corrupto,adhærebant) *tribus dumtaxat rostratis nauibus , in angustissimas Scanici maris fauces* profugus *elabitur , Regno carere iussus, cuius ipse incolumitatem protexerat , terminos auxerat* : & Rex in adultâ iam fortunâ,alterius fratris Olaui indignam perfidiam , cum Proceribus conspirationem , proditionemque expertus est. Cuius authoritatem secuti cum plebeMagnates,Blaccone in primis amici specie, proditorem agente , sanctum Regem , frustra semel , iterumque fugæ præsidio nitentem opprimunt.

In Aedem sacram , Numen precaturus, concesserat: in quâ dum maximè orationi intentus, totus è DEO pendet; valuas Blacco, cunctantibus cæteris, ferro petit , & multitudine exemplum sequente irrumpit: non sacrilegij modò se , sed publici etiam parricidij ducem præbens,atque authorem. Cæsis pluribus,atque inter cæteros, Benedicto,Regis fratre: Rex ipse, metu vacuus , mortem, non refugere , sed innocentia fretus , appetere videbatur. *Itaque propassis*

ſis vtrimque brachijs ante aram, dum victima more proſtratus, percuſſorem expectat, immiſſa per feneſtram lanceæ mortifico iactu confoſſus, pium mortis ſacrificium edidit, profuſoq; militum ſanguine, ſuum ad vltimum erogauit.

Fortunate Heros! Tibi *Iuriſprudentia* plurimum debet, quam corruptam in Daniâ tuâ reſtituiſti: tibi *Iuſtitia* omnia fert accepta, quam cum in omni vitâ verbo, exemploque docuiſſes; ad poſtremum ipſam quoque vitam pro eâ, iniquorum manibus trucidatus, profudiſti. Id ne quis in dubium vllo modo reuocare poſſet, tot à te edita prodigia ediderunt: & quautumuis contumaces Sacrilegi, tandem faſsi ſunt, malis edocti, cladibus attriti.

Paſſus eſt ſanctus Rex Chriſti Anno 1081. 7. Ianuarij.

S. HVGO

Episcopus Gratianopolitanus, GALLVS.

ASSERTIO IVRISPER.

Guigo, primæ Carthusiæ Prior, in vitâ S. Hugonis, iussu Innocentij Papæ conscriptâ.

Frequentissimè suorum, & alienorum CAVSAS MVNDANAS, *& Ecclesiasticas, audiebat, ventilabat, terminabat.*

Est hic Hvgo inter eos Sanctos Episcopos, quos Episcopatus ambiuit, non ipsi Episcopatum. Gratianopolitano Antistite rebus humanis exemto, ad Synodum, quæ tum forte Auenione congregata erat, Canonici côueniunt, compertoque adesse Hugonem, etiam tum iuuenem (quippe annos septem, & viginti non excedebat) eum maximè suæ Ecclesiæ præfici rogant. *At verò ille*, (inquit Author) *repentino timore concussis ab imo*

imo visceribus, toto reniti corpore, magnisq; clamare vocibus, & sese ætate, scientiâ, & postremo moribus, & vitâ tantis mysteriis imparem cœpit affirmare; nec vllatenus pati, in suæ salutis periculum, suâ vilitate Officia veneranda fœdari. Sed nimirum vrgentibus Patribus, ac in primis Pontificio Legato (qui aliquanto antè domesticum eum sibi, & adiutorem adiunxerat) subeundum iugum, quamuis renitenti, fuit. Subijt igitur: sed eiusdem opinionis retinens, supra quinquaginta annos, quibus Ecclesiæ suæ præfuit, semper se eo dignitatis gradu indignum iudicauit, semper eo exui optauit; nonnunquam & tentauit semel, iterumque Rom. Pontificem, vel per internuntios, vel coram, eo nomine supplex veneratus.

Porro in ipsius Episcopatus administratione, incredibile memoratu est, quę conatus sit, quæ effecerit, quæ passus sit. Erat eâ tempestate, non modo populus, sed & clerus prope vniuersus diuinarum rerum flagitiosè rudis, incompositus in moribus, disciplinæ, pulli instar onagri,

impatiens. Sacerdotes ipsi publicè vxores ducere, nuptias celebrare, Sacerdotia nundinari, Ecclesiæ decimas, cæterosque prouentus, cognatis, alijsvè vel donare, vel vendere, sacra & prophana omnia miscere, fas, nefasque susque deque habere. De populo, frustra dicam: tute arbitrari ex sacrorũ hominum flagitijs potes. Hanc Hydram aggressus Hugo, in eam sic pugnauit, vt vniuersis capitibus Diuini Verbi gladio resectis, dici posſit expugnasse.

Inter hæc Brunonem, memorabilem illum Carthusiensis Instituti Patriarchã, cum socijs excepit, Eremum ijs attribuit; consilijs & beneficijs fouit; eorum ipse, ac deinceps reliquorum consilijs perpetuò vsus, &, si permisissent, imperijs obtemperaturus. Certè, quod ei Episcopale fastigium non permisit, Patri suo, iam propè decrepito persuasit. Nam is, filij hortatu, horridam illam, ac propemodum crudelem, certè crudam, vt sic dicam, carni vitæ rationem, octogenarius aggressus, decem ipsos, & octo annos

nos in eâ durauit, eique centenarius, aut præter propter, eſt immortuus : Filio Hugone optimum Parentem, in extremâ illâ luctâ, omni ope, ſtudio, operâ iuuante, & tam carum ſpiritum excipiente, ac quodammodo amplectente. In quo tam ſuaui amplexu acquieſcentem æquum eſt, vt ne turbemus.

Cælum petijt anno Chriſti 1132. Aprilis 2.



S. THOMAS ARCHIEPISC. CANTVAR. ET MARTYR, ANGLVS.

ASSERTIO IVRISPER.

Dubitet de magni Martyris peritia Iuris, qui nesciat, fuisse Regni Angliæ CANCELLARIVM, & IVS non quouis modo defendisse, sed pro IVRE mortem obijsse, Martyrium subijsse.

SANCTAE VITAE, ET MORTIS ALIQVOT CAPITA.

HIC ille Cantuariensis Antistes est, quem iure vocemus Iurisperitorum Sanctissimum, & Sanctorum Iurisperitissimum. Cui ita cordi IVS fuit, vt non modò illud probè calleret, non modò ab eo nec latum vnguem recederet; sed constanter tueretur, sed contra quorumuis iniurias defenderet, sed vitâ quoque, & sanguine fuso, ad extremum retineret, ac velut Trophæum,

&

& in suâ Ecclesiâ ad Tholum suspenderet, & ante Thronum Aeterni Agonothetæ, laureatus statueret. Nec contentus ipse, Iuris tramitem, nusquam declinantem, nusquam euariantem, recto vestigio tenere, alijs quoque intrepidus præscripsit, & tergiuersantes vrsit. At quomodo vrsit? quis? quos? Cancellarius Regnum; Antistes Clerum. Parum est. Exul: (quis alius similia?) Exul, inquam, vrsit Regem, & Regem furentem. Audi ipsum, in nobili illâ Epistolâ, quã relegatus ad Angliæ Episcopos dedit: *An ignoratis, Fratres, quòd chaos magnum, in fraudem Legis, & Canonum, inter nos, & vos firmatum sit, vt non possit aliquis de nostris sine discrimine capitis, vel captionis, vel truncationis membrorum, ad vos transire?* Quid igitur? Regem, qui hoc chaos firmauit, qui discrimina illa, qui captiuitatem, qui truncationem minatur, non audes officij sui commonere? maximè verò, inquit. Audi loquentem exulem. *Permittat* (Rex) *Ecclesiam frui pace, & libertate sub ipso, tanquam sub Rege Christianissimo:*
 nissimo:

nißimo: Ecclesiam Romanam vti IVRE, *& libertate in terrâ suâ, quam habere debet, & habet in cæteris Regnis: restituat Cantuariæ Ecclesiæ, & Nobis* IVRA *sua, & libertates, & omnia ablata cum pace, & securitate nostrâ.* Et mox: *Istæ sunt dignitatis Regiæ leges optimæ, quas petere debet, & obseruare Rex Christianißimus.* Quid tibi ista videntur? Magna omnino sunt, imò maxima, sed hactenus verba sunt, & verba Exulis quidem, sed tuto in loco positi; & cui Rex, quantumuis furibundus, nocere, tum quidem non poterat. Fac ita esse.

Non semper abfuit: rediit; coràm locutus est: quid dico, locutus? coràm, & cominus certauit, & omnes Regis Satellites, vnico Patientiæ & Sacerdotalis Constantiæ clypeo armatus, superauit. *Cum in dies,* (ait Gulielmus Neubrigensis, causæ alioqui huius Archiepiscopi iniquior, & in Regem propensior) *Regij furoris causæ ingrauescerent, eo die, quo plenius responsurus erat obiectis, solemne illud officium de B. Stephano, scilicet,* Sederunt Prin-

Principes, & aduersum me loquebantur,& iniqui persecuti sunt me, *iussit coram se, in celebratione Sacrificij solemniter decantari. Mox Curiam ingressus, Crucem argenteam ante se portari solitam, manu propriâ baiulauit.* Sed hæc aliquanto antè. Alius postea cantus auditus, alia Crux baiulata. Specta igitur iam extremum huius Sancti vitæ actum. Narrat, qui pars fuit Tragœdiæ, (Edouardus Monachus apud Surium, & Stapletonum, in vitâ Sancti Thomæ,) in quâ & altero brachio multatus est. Cum beatus Martyr *ceruicem orantis in modum inclinasset*, impius Sicarius *coronam capitis eius amputauit.* Hæc prima plaga. Altera, *Additus alter ictus in sacrum caput, nihil illo se commouente.* Tertiâ, *cerebrum pariter cum sanguine, è capite in eius faciem defluxit.* Quartâ, *Hugo* quidam, *posito in eius collum pede, cerebrum simul, & sanguinem, per pauimentum sparsit, & recedens ait: Abeamus hinc, iste posthac non resurget.* Imo resurget, impie, & immortalitatis coronam, pro illâ am-

putata recipiens, te, tuoſque ſocios iuſtiſsima ſententia percellet, quam à Sanctis ſacrilegos par eſt expectare.

Paſſus eſt Anno Chriſti 1170. 29. Decemb.

IOHAN-



IOHANNES DE FLORENTIA, ITALVS, TVSCVS.

ASSERTIO IVRISPER.

S. Antoninus, par. 3 Tit. 24. capite 9. §. 1.

Erat IVRISPERITVS, *& in Castellanâ Ciuitate* IVDEX.

AEquumne censeam, Vir Sanctissime, vt ideo te prætereeam, quia Iudicis Dignitatem, Diuino Miraculo excitatus, deseruisti? Absit. Nam dum perfectiora sequereris, non ideo iudicabas vel malum, vel impium esse, quod antè sectabaris: sed viam præibas alijs ad meliora: & secessione tua alios inuitabas, vt, si minus Officium deserendum censerent, omnino tamen desererent vitium, & abusum, qui Officio potest, & solet plurimum officere. Audi Historiam, Lector, & intelliges, quid velim. Sed audi verbis ipsius S. Antonini, loco allegato, ne, si parum libenter audias,

meis

meis verbis profeſsionem tuam ſugillari exiſtimes: etſi nec ipſe Antoninus ſugillat, ſed profeſsionis, vt dixi, dumtaxat abuſum.

Cum eſſet Iohannes IVRISPERITVS, *& in Caſtellanâ Ciuitate,* IVDEX, *vnâ dierum per feneſtram reſpiciens, vidit quendam cuſtodem porcorum, porcos includere non valentem, ſed hinc inde fugientes: edoctus à ſocio his verbis eos incantare, ait: Porci, porci, porci, intrate in caſtella, ſicut Iudices, & Iuriſperiti intrant in infernum. Quo dicto, ſtatim porcorum multitudo, ſine grunnitu, intrat caſtellum. Ob hoc, diuino timore, ne ſcilicet cum eſſet Iudex, & Iuriſperitus, intraret in infernum, conſiderans periculum ſui ſtatus, contemtis omnibus, cum Filio, quem iam habebat, Religionem Minorum intrauit.*

Hæc Antoninus ad verbum de occaſione, qua inductus eſt Iohannes de Florentia, vt ſe DEO gratiſsimum holocauſtum offerret. Iam ex eodem Authore, de eiuſdem beati Viri vita, pauca attexamus.

Proxi-

Proximus à B. Francisco fuit Generalis sui Ordinis Minister. Magnam eius Ordinis partem ex officio visitauit, nudis semper pedibus. Lacrymis è pietate manantibus assiduè perfundebatur.

Cùm in Hispaniâ, noxiâ siccitate perirent sata, & terræ genimina, precibus beatus hic vir oportunam pluuiam è cęlo obtinuit.

Vanitatem, & pompam Titulorum adeo abhorrebat, vt vetuerit quemquam in Minorum familiâ, quantumuis eruditione quauis imbutum, vel Magistrum vocari, vel Dominum: satis esse si Fratres dicerentur.

Illud magnum fuit, atque adeo splendidum, tum ipsi, tum toti S. Francisci Religioni:

Dissidium ingens erat inter Gregorium Nonum Pontificem, & Fridericum Cæsarem; quod nulla humana industria extingui posse videbatur. Rebellis Populus Romanus ad Fridericum inclinabat. Hîc Pontifex, omnibus circumspectis, ad negotium componendũ, aptiorem

rem Iohanne de Florentia reperit neminem. Qui Romam missus, Populum ad officium, omni ope, & opera reducere conatus; cum nihil proficeret: At vos, inquit, quod sponte facere renuitis, breui erit, cum inuiti, atque adeo coacti, Numine vrgente, facietis. Verum fuisse Vatem, probauit non ità multò pòst, euentus. Tiberis enim ripas suas immensum egressus, eam in altitudinem excreuit, vt Vrbem & præsenti malo terreret, & peiorũ expectatione suspenderet. Ex quo factum, vt Romani ad officium, obedientiamque, salubriter flagellati redirent.

Aliud paulò post Iohanni negotium, domesticum magis subortum est. Mota à quibusdam Religiosis quæstio super S. Francisci Regulâ, quam rigidiorem dictitabant, quàm vt ab humana imbecillitate, ita vti verbotenus sonabat, vita ipsa exerceri posset. Reclamabat vehementer Generalis, nihil in ea esse asseuerans, quod Deo bene iuuante, omnibus tam boni Patris, genuinis filijs, non mo-

do

do facile, verum etiam obſeruatu iucundum non eſſet. Appellatus ſuper ea controuerſia Pontifex, quędam aliquantum mitigare viſus eſt. Porro Iohannes Pontificis quidem authoritati obedienter acquieuit: ſed dolore animi fatiſcēs, Generalatu ſponte ſe abdicauit.

Floruit Anno Chriſti 1227.

NO-



NOTARIVS ANONYMVS, MARTYR.

ASSERTIO IVRISPER.

Vita S Antonij de Padua
13. Iunij.

NOTARIVS ibi dicitur. Hoc sufficit.

VBique se offerunt Sancti IVRISPERITI, etiam vbi minimè quæras, aut putes. Fuit Antonius, quem de Padua vocant, magnus omnino Sanctus: sed Iureconsultum fuisse, nusquam lego. At dum vitam eius lego, Sanctum Iureconsultum reperio Res ita se habet.

Cum nulla virtus S. Antonio deesset; omni etiam Miraculorum patrandorum cuiusque generis potestate erat præditus. Inter quæ occultorum cognoscendorum, & futurorum prædicendorum facultatem maximi semper feci, quam Prophetiam vocant. Hac Moysen, Dauidem, Isaiam, aliosque similes DEVS illustrauit: nec facilè alios, nisi amicos

amicos ſuos ſingulares. Inter hos erat etiam hic de quo loquimur, S. Antonius. Ergo tum alia multa vidit, & prædixit, tum hiſtoriam illi debemus, quam ad inſtitutum noſtrum facientem, iam narrare aggredior.

Morabatur aliquando Vir beatus in Ciuitate Podienſi, præeratque fratribus ſuis cum poteſtate, ſacræ Præfecturæ, quam qui exercet, Guardianus à S. Franciſci alumnis dicitur. Degebat tum eodem in Oppido Iuriſconſultus quidam (nomen non proditur) profeſsione NOTARIVS, cui, quoties in eum incideret Antonius, honorem exhibebat, qualem non temerè alteri alicui. Nam & caput nudabat, inclinabatque, & inſuper poplitem flectebat. At ille (qui tum vitam ducebat ſolutam omnino, carni, mundoque planè, & plenè addictus) eum honorem, contumeliam videlicet interpretabatur, & ſannas: eoque occurſum Sancti ſic vitabat, vt ſi eum aliquando haberet obuium, abrupto itinere, aliò declinaret.

Sed

Sed cum aliquando in eum inſperatò incidiſſet, & de more cernuum videret, exacerbatus, & minabundus, quærit, Cur tandem ſe præ tot alijs, ludos faceret? At enim Antonius negare, ſe vel contumeliæ, vel ludibrij causâ facere, ſed honorem illi exhibere, quo iudicaret dignisſimum. Cauſam rogatus, Quia cùm vehementer concupierim, inquit, & à Deo feriò petierim gratiam, quâ pro illo Martyr occumberem: mihi quidem id decoris negauit; te verò ſignificauit, aliquando pro eius gloriâ vitam poſiturum. Egone igitur eum non omni honore proſequar, cui id honoris à Deo repoſitum ſciam? At Notarius, indignatione in ludum verſa, ridens abijt.

Non ita multum inde temporis effluxerat, cum Podienſis Epiſcopus, multis comitantibus, Hieroſolymam profectus eſt, Saracenis Chriſtum, eiuſque Religionem illaturus: Hîc diuinitus permotus Notarius noſter, diuenditis omnibus Antiſtiti ſe ſocium adiungit. Sed cum eò peruentum eſſet; & frigidius Epiſco-

Episcopus rem tantam ageret; Dei zelo accensus Notarius, & ipsum increpare, liberrimo ore aggressus est; & ipse impios docere instituit, duo illa vehementius inculcans, Christum verè esse Dei filium, & verum Devm: Mahometem verò Diaboli filium, & filium perditionis.

Itaque in eum coorti, rapiunt, & toto triduo, diris, & exquisitis supplicijs excruciatum, atrociter enecãt: ac sic (quod S. Antonius vates prænuntiauerat) Dei Martyrem efficiunt.

Accidit hoc circa annum Domini 1230.

S. RICHARDVS.
EPISCOPVS CICESTRENSIS,
ANGLVS.

ASSERTIO IVRISPER.

Anonymus apud Surium,
3. Aprilis.

Bononiæ ſeptennio amplius IVRISPRVDENTIAE *operam dedit.* Mox ait, Præceptore ægrotante, eius loco eam ſcientiam DOCVISSE, & poſtea Cantuarienſem fuiſſe CANCELLARIVM.

MVltorum, magnorumque Sanctorum hic Sanctus Iuriſperitus in ſe viuam expreſsit imaginem. *Paulinum Nolanum* Antiſtitem meritò miramur, qui, vt viduæ filium captiuum, orbę matri reſtitueret, ſponte ſe ipſe eius loco mancipium in ſeruitutem vendidit. *Richardus* adhuc adoleſcens, fratri ſuo pauperi vltro ſeruiuit: nec puduit iuuenem non ignobilem, quò illi gratificaretur, modo ad ſtiuam curuari, modo ſordida iumenta agere; modo alios viliſsimos quoſque labores ſubire.

VValericus Abbas, Aruernus, puer adhuc, & pauper, dum Patris oues pascit, improbo studio, primum Alphabetum, tum & litteras deinceps, & in ijs, sacras, suo ferè marte edidicit, in magna rerum omnium indigentia. De *Richardi* nostri paupertate, & litterarum studio, illud non tantum mirum: sed & relatu iucundum, ac propemodum ridiculum narrat vitæ Scriptor.

Referebat ipse Richardus, cùm litteris operam daret, habuisse se in eodem cubiculo socios duos, & quidem fuisse singulis singulas tunicas; sed vnicum tribus (verbum est Authoris) *capitium*. Itaque vno ex ipsis ad lectiones audiendas, abeunte eo capitio amictum, reliquos duos in cubiculo manere solitos, ac sic lectiones per vices auscultasse. Et tamen in omni doctrinarum genere eos progressus fecit, quos cum multa gratulatione, & gaudio sensit DEI Ecclesia. Si quid in hac re est vel ioculare, vel, vt dixi, ridiculum; ita ridere, aut rideri, gaudent Sancti DEI.

S. Iohannes Chrysostomus, quanta in Episcopatu passus sit, nemo ignorat. *S. Richardus*, Regis indignationem, & indignitates, passus est eas, quas nemo legat, quin illius verum parallelum facilè agnoscat.

Pauperes perpetuo eleemosynis iuuit magnus ille *Io. Eleemosynarius. Richardus*, in eleemosynas itidem in re licet tenui, supra vires profusus; cum œconomus eum moneret, tenuiores esse domesticos reditus, quàm vt eiusmodi largitionibus sufficerent: aureum illud respondit, Aequum non esse, vt ad mensam argentea vasa, atque aurea adhiberet, & intereaChristus in Pauperibus fame cruciaretur. Itaq; vēde, inquit, vasa illa, atq; etiam equum, quo vehor; & quamdiu est, quod detur, da liberaliter. Quid igitur miremur, si liberalitatem eius gratam sibi esse, ostendens Christus effecerit, vt modicus panis ad tria pauperum milia reficienda sufficeret; tantumque fragmentorum superesset, quod alijs centum pascendis esset satis?

Ini-

Inimicos multi caritate proſequuti ſunt: neque hâc in re *Richardus* illis diſſimilis. Memorabilis illa eius ſententia eſt: *Si quod meum eſt, volo recuperare, non debeo id, quod* DEI *eſt, alteri ſubtrahere.*

His virtutibus, alijſque omne genus, aſsiduè incumbens hic Sanctus, Christi Crucifixi imaginem cõplexus, ad illum felix migrauit, cuius in ſe ſimilitudinem perpetuò expreſſerat.

Floruit, Innocentio quarto Summo Pontifice, anno Domini 1250. Obijt 3. April.



S. IVO

PRESBYTER, ET CONFESS.

Gallus, Britannus.

ASSERTIO IVRISPER.

Præterquam, quòd omnium iudicio Iurisperitus habetur, Vita eius à quodam synchrono fideliter scripta, IVDICEM fuisse testatur: & Martyrologium Rom. asserit, pro pauperibus, pupillis, & viduis, gratis egisse ADVOCATVM.

PVbertatem vix attigerat hic Sanctus, cum diuinarum litterarum studio, se studiosè addixit. Quod tum ab omnibus lectoribus diligenter animaduerti volumus; tum ab ijs maximè, qui non modò ipsum pro *Iurisperito*, *&* *Aduocato* agnoscunt, sed ipsum solum. Hi enim, nisi seipsos decipere volent, &, quod ille ait, cum ratione insanire, nõ poterunt alios quos vel iã memorauimus, vel deinceps memorabimus, à Iurisperitorum numero

ro excludere, ex eo, quòd vel Sacris litteris, vel Theologiæ operam dederint præcipuam.

Verſatiſsimus iam S. Ivo in omni Diſciplinarum genere, ab Archidiacono quodam Redonenſi, Eccleſiaſticus IVDEX conſtituitur. Quo munere ita perfunctus eſt, vt & gratis operam ſuam impénderit; & pupillos, egenos, viduas, alioſque oppreſſos, & calamitate quàuis laborantes, ſummâ humanitate ſolaretur, & patrocinio ſubleuaret. Si quis carcere teneretur, eum omni ope, & operâ erigebat: Si qui diſsidebant, pacem, & concordiam inter eos conciliabat. Eccleſiaſticæ in primis libertatis vindex erat acerrimus. Quod ſi eueniſſet, vt fit, vt ſententia contra aliquem ferenda eſſet, ſic memor erat Iuſtitiæ, vt tamen miſeri hominis calamitati illacrymaret. His artibus, tamquam Chriſti bono odore illectus Trecorenſis Epiſcopus, generalem eum IVDICEM, ſiue Officialem ſuum eſſe voluit. In quâ Dignitate, ſemper ſui ſimilis Ivo, vel potius de

Virtute in virtutem progrediens, omnibus quidem alijs; sed sibi nunquam satisfaciebat. Itaque ad altiora aspirans, ac potissimum ad beatam diuinarum rerum contemplationem, *Iudicis* officio se abdicauit, Orationibus, Meditationibus, Corporis afflictationibus perpetuò intentus.

Iterum te hic moneo, Lector, vti memineris, non propterea tot alios Iurisperitis negare, quòd aliquando eam Professionem dimiserint; cum idem fecerit noster Ivo, quem tamen omnes IVRISCONSVLTVM, & Iurisconsultorum Patronum magno consensu agnoscunt Sed addamus de eo pauca.

Ieiunia orationibus condiebat, & Orationes Ieiunijs. Quo in genere illud prorsus mirabile fuit, quod aliquando septem totos dies perpetuò orauerit, atque interea nihil omnino gustauerit. Incruentum sacrificium quotidie DEO offerebat. Somni erat permodici. Lectulus erat vel nuda humus, vel nodosæ virgæ, aut stipites: ceruical illi mollissimum,

vel

vel ſaxum aliquod, vel pietatis causâ, ſacroſanctum Bibliorum volumen.

Eleemoſynas egenis,ac peregrinis largiebatur, tum ſpirituales aſsiduè; tum temporales, quantum res familiaris patiebatur,ſubtractis etiam ſibi non ſuperfluis modò, ſed propè etiam neceſſarijs. Itaque cum hâc eius benignâ liberalitate certans liberaliſsimus DEVS, & ſæpius panes illi diuina poteſtate auxit, & aliquando frumentum. Complura alia hic Sanctus edidit longè ſupra naturæ vires. Ignem ſuperauit, dum incendium perniciosè graſſans, & concurrentium, ac lympham conferentium, omnem diligentiam ſuperans, precibus extinxit. Aquarum moleſtiſsimam vim deuicit, dum ſuperiectum pontibus fluuiũ, crucis ſigno diuiſit, ac tranſijt: hoc prodigio cum Moyſe, Ioſue, Eliſeo, conferendus. Mitto alia.

Denique ſuſcepto aliquando mendici ſpecie, vel Angelo, vel Angelorum Domino: viſo etiam in Columbæ candidæ formâ, Spiritu Sancto, cuius aſpe-

ctabili splendore tota Trecorensis Ecclesia collustrabatur: *cupiens* tandem *dissolui, & cum Christo esse*, voti compos factus est, indicato prius tempore, quo æternâ illâ beatitudine erat fruiturus.

Floruit Anno Christi 1285. Obijt 19. Maij.

S. EL-



S. ELZEARIVS COMES Coniugatus, & Virgo, GALLVS.

ASSERTIO IVRISPER.

Stephanus Binetus Societatis IESV nobilis Scriptor in eius Vitâ Gallicè scriptâ, cap. 14.

Petÿt, & obtinuit à Duce Carolo, Filio Roberti, Regis Neapolitani, vt liceret sibi agere ADVOCATVM *Pauperum.* Ac ne putes, humanitatis tantum, & caritatis fuisse eam *Aduocationem*, quæ *Iuris scientiam* non requireret: addit Author, solitum Pauperum quorumlibet CAVSAS AGERE, summâ eloquentiâ, quâ IVS omnino obtinebat, si Ius à Cliente stabat.

NE ambitiosè quæramus, quæ de hoc S. Iurisconsulto dicamus. Omnes Vitæ eius partes omnia munia, omnes actus, certatim se offerunt.

Infantulus nunquam acerbius plorabat,

bat, quam cum mendicos videbat, ſtipem quærentes, & nihil eis dari. Neque omnino placari poterat, donec eleemoſyna data eſſet. tum verò ſuaui riſu animi ſui voluptatem teſtabatur. Atque in eo affectu deinceps, quoad vixit, ſed non pueriliter, durauit. Apparet id quidem ex eo, quod paulo antè retulimus, cum egenorum Aduocatum fuiſſe memorauimus. Sed vnum in ea cura, eius facinus non videtur ſilendum.

Offerebantur illi quotidiè à mendicabulis, libelli ſupplices, Principi porrigendi, aut obtrudebantur potius ſine modo, ſine numero. Eos ille libellos, quò diligentius aſſeruaret, ordine quo offerebantur, ſtudiosè compoſitos, in prægrandi perâ è ſerico confectâ, (geſtamen hoc erat, eâ tempeſtate, illuſtrioris Nobilitatis) circumferebat. Alij proceres alios in vſus eiuſmodi peras oſtentabant: at noſtro S. Iuriſperito non tam Illuſtris Viri pera erat, quàm Pauperum. E quibus fuit aliquando, qui manus abluentem Comitem, ac iam menſæ accubi-

cubiturum, (vt importuna eſt egeſtas) opprimeret, &, Tu quidem, inquit, menſam, & delicias cogitas: at vbi interea libellus meus ſupplex? atqui hodie expediendum eras pollicitus. Indignatus alius quilibet fuiſſet. At Elzearius comiter, Rectè mones, inquit, ô amice. Neque hic mihi abierit dies, quin pollicitationi meę fecerim ſatis. Itaque prandio, ac ſocijs relictis, Palatium feſtinus adit, miſelli negotium confici petit, obtinet, affert, tradit: ac tum demum frugali cibo attenuatum corpuſculum, de more, reficit. Aiebat, ſe nunquam ſuauius epulatum. Viden alterum Tobiam? niſi quod hic cadaueri operam dedit: noſter viuenti homini, ſed ab inopiâ ſemimortuo. Plura de hoc Sancto referat potius S. mulier Garſendis, eius nutrix, cæleſtibus illuſtrationibus, & quandoque colloquijs, à DEO dignata. Huic igitur pro Alumno ſuo intentius oranti, Chriſtus Dominus ex ore ſculptilis Crucifixi, clarâ voce affirmauit, ſe Matrem ſuam, Virginem Mariam, Elzeario in

Matrem, & Magiſtram dediſſe. Quod qui beatum Iuuenem intuebantur, & audiebant, facile ſibi perſuadebãt: adeò Matris DEI amor in eo perpetuò emicabat.

Aliàs, cum eadem Garſendis ſolitas preces frequentaret: oculis eius ſe obtulit manus, ex illuſtri nube emergens, ac gemmam oſtentans, ea claritate, vt ſacellum ardere videretur. Trepidanti diuina vox indicat, eam gemmam eſſe Elzearij cæleſtem Virginitatem.

Et quis id non credat, qui ſciat, ita in coniugio vixiſſe cum Nympha iuuencula, & formoſiſsima, vt viuunt in cælo beati Spiritus corporis expertes, & toti è Diuinitate pendentes? Sanè ſi quid ſapio, miraculum id fuit, maius illo, quo Babylonicæ fornacis flammã innoxiam, innocentes ipſi, Ananias, Azarias, & Miſaël ſuperarunt.

Quærat quis, piè curioſus, An non aliquando animum relaxaret hic beatus Comes? an more cæteræ Nobilitatis, non delectaretur venatione, vel aucupio?

pio? Inuenio ſanè aliquando venatum: ſed audi, quid potiſsimum quæreret. Diſce hoc vno exemplo.

Seceſsit aliquando à turbâ canum, & venatorum, cum vnico Domeſtico, cui plus fidebat, quam alijs. Domum reperit, in quâ ſex leproſi (erga hoc hominum genus maximè afficiebatur) ſic à depaſcente illo malo deformes, & horridi, vt quiuis alius, quàm Elzearius, oculos auerteret. Quid ille? comiter ſalutat, amplexatur, oſculatur, & oſculo, non modo ſanitati omnes reſtituit, ſed & eleganti formâ induit: & domum cęleſti odore compleuit. O beatum venatorem!

Cælum petijt anno ſalutis 1323. 27. Septemb.

BONIFACIVS FERRARIVS,

S. Ordinis Carthusiani Generalis, Hispanus, Valentinus.

ASSERTIO IVRISPER.

Petrus Ribadineira, Societatis IESV, Floribus Sanctorum, in vitâ Sancti Vincentij Ferrarij.

Fuit Bonifacius IVRISCONSVLTVS *insignis.*

Dorlandus in Chronico Carthus.

Statim post vicesimum ætatis suæ annum, VTTRIVSQVE IVRIS CONSVLTVS, *& sui temporis omnium spectatissimus habebatur.*

QVæ de Sancto hoc Iurisconsulto afferam, ex eodem *Dorlando* Carthusiano hausi, lib. 4 cap. 25. Chronici, quod ipse ante annos ferè centum triginta conscripsit: optimâ vtique fide, vt de

de viro optimo, & doctissimo sentire par omnino est: Ergo caput illud ita orditur Dorlandus: *Hunc VVilhelmum*, SANCTVS *subsequitur* BONIFACIVS: *vir nominis sui etymologiam egregiè exprimens: quippe, qui à* DEO *dedicerat bene facere, bene dicere, bene, & salubriter cogitare.*

Vincentius Ferrarius, decus illud, & honos S. Familiæ D. Dominici, cui tandem ignotus est? Sit hæc prima laus Bonifacij nostri illius esse fratrem. Fuit vterque Gente Hispanus, è clarissimâ Ciuitate Valentiâ, vbi, notissima est antiqua, & prænobilis familia Ferrariorum: in quibus, horum parentes in primis eminebant. Neque tamen genere magis, quàm virtute: quæ potissima nobilitas semper habita est.

Sed de Vincentio vt taceamus, Bonifacius eius germanus, parentum potius iussu, quàm sua voluntate, coniugij vinculis alligatus, cum sapientiâ, prudentiâ, vsu rerum longè excelleret, Ciuitatis suæ Præfectus creatus est.

Dor-

Dorlandus *Rectorem* vocat. Quem Magiſtratum, cum diu, ſummâ omnium approbatione, & plauſu, &, quod caput eſt, publico bono, pręclarè adminiſtraſſet: defuncta iam vxore, Carthuſianis aſcribi voluit, eo loco, qui Porta cæli dicitur, prope eam ipſam Vrbem, ſolitudinem quærens, & reperiens, in quâ omnium acclamationes paulo antè, publicè toties tuliſſet. In eo ſacro ſeceſſu, quem ſe exhibuerit, intellige à Dorlando, cuius verba hîc pono.

Receptus, & probatus, fidelis inuentus eſt: Accepto verò habitu, tam ſublimia conuerſionis indicia cunctis oſtendit, vt iam in perfectorum numero poſſet meritò æſtimari. Tanta namque inerat illi in corde humilitas, in opere caritas, in mente puritas, in carne caſtitas, in pectore pietas, in ore veritas, in ſermone raritas, in victu parcitas, in habitu ſimplicitas, in oratione ſedulitas, in contemplatione ſublimitas, in aduerſis longanimitas, vt cunctos duceret in ſtuporem.

Tot Virtutum diuina fragrantia, longè latéque ſparſa, cum etiam Maiorem

Car-

Carthuſiam impleuiſſet; Generali defuncto Bonifacium abſentẽ ſubſtituunt. Qui ſibi ſemper ſimilis; vel potius quotidie ſeipſo melior; non modo familiæ ſuæ plurimum contulit; ſed & Chriſtiano Orbi Vniuerſo. Quippe in eius tempora incidit fœdum illud ſchiſma, quo aliquot Pſeudopontifices, Chriſti Eccleſiam (quod in ſe fuit) atrociter lacerarunt. Quantam operam tanto ſcandalo tollendo contulerit S. Vincentius, pluribus ſatis notum eſt: ſed non fortaſſe æquè illud perſpectum, Bonifacium eius fratrem ſic illi in hoc etiam negotio adhæſiſſe, vt optimus ſucceſſus DEI populum exhilarauerit, & illud Sapientis verum oſtenderit: *Frater, qui adiuuatur à fratre, quaſi ciuitas firma.* quod ex Dorlãdo diſcimus. Deniq; Bonifacius, vt antè Seculi pompã, & Magiſtratus reliquerat: ſic ſacrâ quoque Præfecturâ ceſsit, & Generalatu ſe vltro abdicauit, octo circiter annos illo perfunctus: atque ita expeditus, tam pulcram animam æternæ pulcritudini, DEO conſignauit.

Floruit Anno Chriſti 1400.

IOHANNES CAPISTRANVS ORDINIS S. FRANCISCI, ITALVS.

ASSERTIO IVRISPER.

Henricus VVillot Parisiensis Theologus, Belga, Ordinis S.Francisci, in Athenis.

IVRIS VTRIVSQVE *decennali studio peritiam ita absolutè fuit adeptus, vt — non solum studentes, sed & Doctores quoque ipsi, ab ipsius ore* PENDERE *non erubescerent.* Intelligendum, eum vel Iurisprudentiam publicè fuisse professum; vel vulgò de Iure cum authoritate respondisse.

DE hoc admirando Viro audio extare scripta volumina, quæ mihi videre non contigit. Quæ hîc refero, hausi ex Historia Bohemica Aeneæ Siluij (est hic Pius Secundus Pont. Max.) &

& Iohannis Dubrauij Olomuzensis Episcopi, atque item ex Henrici VVillot Athenis, Alberto Krantzio, & Hieron. Plato de bono status Religiosi.

Fuit Capistranus gente Italus, domi nobilis, natus anno Christiano 1385. Præceptor inter cæteros illi obtigit magnus ille Bernardinus Senensis: quod etsi per se magnum est; maius tamen fuit, eius expectationem vel æquasse, vel superasse. Ea fuit de eius vel probitate, vel eruditione opinio ápud omnes, etiam magnos, vt plures Romani Pontifices; sed maximè Nicolaus quintus, maximis Ecclesiæ illum negotijs adhiberet. Fuit non modo Concionator facundus, & fœcundus: sed quem iure dicas Concionatorum Diuinam Ideam. Verba Krantzij:

Iohannes in Germaniam descendit, prædicans magno zelo verbum DEI *in Austriâ, Bauariâ, Sueuiâ, Thuringiâ, & Saxoniâ. Nam in Ciuitate Magdeburgensi, in nouo foro, maximâ ad eum confluente multitudine, cum esset Germanicæ linguæ non gna-*

rus,

rus, Latinè prædicabat — populo solis gestibus eius satis vehementer permoto. Moti sunt omnes, & vsque adeo permoti, vt fœminæ abusum in ornatu; viri, ludos, quibus tempora perdunt, schaccorum, alearumq; in vnum contulerint, & eodem loco, igne sub dio concremarint.

Hæreticos perpetuò vehementissimè, vel sermonibus, vel scriptis libris insectatus est, omnes quidem: sed in primis Hussitas in Morauiâ, & Bohemiâ; Fratricellos verò in Marchiâ Anconitanâ & Campaniâ, quorum loca 36. exussit, zelo DEI ipse ardens.

Infidelium saluti sic addictus erat, vt vna aliquando excursione, duodecim millia Ecclesiæ adiunxerit, ac multos præterea Schismaticos.

Quid, quod insignis quoque Miles fuit Capistranus? nisi Imperatorē mauis dicere. Sed Crux illi arma, & Oratio, non hasta & gladius. Ostendit hoc in primis apud Albam Hungariæ irruente in vrbem Turcâ. Audi Aeneam:

Iohannes Capistranus, Ordinis Minorum Pro-

Professor, vitæ sanctimonia clarus, eâ tempestate Hungaros in arma publicis sermonibus excitabat — Haud paruam Cruce-signatorum manum adduxit. — Capistranus ex turri clamitans, Christianos hortari, vexillum Crucis ostendere, opem de cælo promittere, maledicere hostibus, DEI *præsentiam implorare. — Vidit ex muris Capistranus trãsuersam hostium aciem, insidiasq́; cognoscens, reuocare suos cœpit. Cùm parum exaudiretur, tympanis, ac tubis confundentibus vocem, præceps in pugnam dilabitur : atque inter duas acies, inter tela volantia percurrens, clamoribus, ac signis, Cruce-signatos redire coëgit. — Fraudati magnâ spe Turcæ in castra redierunt.*

Nec defuit eius sanctitati Miraculorum sigillum. Franciscus Gonzaga in *Origine Seraphicæ Religionis*, non dubitat asserere, *Multa Miraculorum centena diuinâ virtute edidisse* : & in ijs, *septem mortuos ad vitam reuocasse.*

Reliquit ipse hanc vitam, & ad cælestem transijt, anno Christi 1456.

B. IA-

B. IACOPONVS ADVOCATVS CONFESSOR, ITALVS, TVDERTINVS.

ASSERTIO IVRISPER.

Matthæus Raderus è Societate IESV, ex Annalibus Franciſcanorum; Parte 2. Viridarij Sanctorum.

Tudertinus erat hic Beatus, è nobili familiâ Benedictorum. Ab ineunte adoleſcentiâ IVRIS *ſe* CIVILIS *Prudentiæ ſtudio impensè dedidit: cuius demum cognitione abſolutiſſimâ inſtructus, paratuſq́ꝫ, &* DOCTORIS *appellatione publicè condecoratus,* ADVOCATVM *ſtrenuè in* FORO, *vti erat* IVRIS CONSVLTISSIMVS, CAVSASQVE *agebat.*

VXorem acceperat Iacoponus, corpore perelegantem; ſed animo, & mente longè elegantiorem. Quæ, cum repentino quodam, & lamentabili caſu exanimata eſſet, veſtem eius diſſibu

lans

lans maritus, reperit intimè carni appreſſum horridum cilicium. Cohorruit ſcilicet Iacoponus ad inuſitatum ſpectaculum, & ſalutari dolore ictus, vitæ in melius mutandę altas illicò cogitationes concepit. Ergo, fortunis omnibus (quas habebat ampliſsimas) in egenos diſtributis, Chriſtianæ Humilitatis anguſtam ſemitam ingreditur, idque tam ſeriò agit, vt ab omnibus mortalium omnium abiectiſsimus, viliſsimuſque habeatur. Quod, quò maiore facilitate conſequatur, Tertio Ordini S. Franciſci nomen dat.

Aſsiduè in Templis, lociſque ſacris, preces, lacrymis infuſus, Diuino Numini fundebat.

In plateis ea faciebat, dicebatvè, ob quæ omnium fabula fieret; fruſtra contranitentibus cognatis, qui illas ineptias, ſuum dedecus interpretabantur.

Pleraque edebat, quæ nemo crederet, niſi ab homine, mente capto, edi poſſe: ſed ſemper illa amentia, documentum erat cæleſtis ſapientiæ.

Par

Par pullorum emerat Ciuis quiſpiam, & Iacoponum fortuitò obuium factum, rogabat eos vt domum ſuam deferret. Annuit ille; ſed acceptos pullos in ſepulcrum illius Ciuis paternum detulit, memor illius veriuerbij: *Scio, quia morti trades me, vbi constituta eſt Domus omni viuenti.* Hoc vnum exemplum in hoc genere ſufficiat.

Ea doctrina, & eruditione vir, nunquam adduci potuit, vt in ſacro S. Franciſci Ordine, Sacerdotio initiari ſe ſineret, ſed ſtudio humilitatis, perpetuò inter Fratres, quos Laïcos vocant, verſatus eſt.

Viliſsima, & abiectiſsima quęque domeſticorum miniſteriorum, & ſtudioſiſsimè quęrebat, & obibat libentiſsimè. Neque tamen ita abiecto erat animo, quin vitia etiam Magnorum ſumma libertate reprehenderet. Teſtis ſit Bonifacius VIII. Pontif. Max. quem coràm liberrimè increpuit, quòd in Eccleſiæ Catholicæ gubernatione, non ea, qua par eſſet, prudentia, & diligentia verſaretur.

Pupu-

Pupugit ea libertas Summum Sacerdotem. Itaque cucullo ademto, compedibus vinciri importunum monitorem, & in carcerem compingi iuſsit. Quod Iacoponus tranquilliſsimo animo tulit, nihil omnino queſtus. Sed cũ Papa, carceres pręteriens, Iacoponum fortuitò vidiſſet, clara voce ab eo quęſiuit, Quando tandem inde egreſſurum ſe putaret? Cui ille comiter: Quando tu, Beatiſsime Pater, carcerem ingredieris. Et verum fuit vaticinium: Nam & Pontifex ab hoſtibus in vincula coniectus eſt, & DEI ſeruus vinculis ſolutus.

Demum Vitæ ſanctiſsimè actæ reſpondit exceſsus item ſanctiſsimus. Quẽ verè exceſſum dixeris potius, quã mortem. Siquidem nec ſenectute importunè vrgente; nec morbi nimia violentia, vitam deſeruiſſe creditus eſt mortalem: ſed Diuini Amoris incendio conſumtus, inſtar *virgulæ fumi ex* omnium Virtutum *aromatibus*, in æternam vitam emicuiſſe.

Obijt, quo die Chriſtus Dominus natus, 25. Decemb.

THO-

THOMAS MORVS

ANGLIAE CANCELLARIVS, ANGLVS, LONDINENSIS.

ASSERTIO IVRISPER.

Poteras acquieſcere, & iure eum Iuriſperitis annumerare, cum Cancellarium audis. Sed ſcito illum etiam in Iure legiſſe, Aduocatum fuiſſe, Cauſas egiſſe, Syndicum Londini fuiſſe, Ius dixiſſe, Iudiciſque Vrbani officio functum. Quæ omnia Thomæ Stapletono, Scriptori & Teſti idoneo, meritò de hoc noſtro Thoma credimus. A quo proinde hæc pauca, quæ de eius Vitâ & Morte ponimus, mutuati ſumus, eoque libentius, quòd ex alijs optimis Authoribus, ac in primis ſæpe ex ipſo MORO, mutuatus ipſe eſt.

VITAE CAPITA ALIQVOT ILLVSTRIA.

QVę de Genere, Educatione, Studijs, Eruditione, Scriptis huius Sancti Can-

Cancellarij, referuntur, prudens omitto, quantumuis ſplendida, & memoriâ dignisſima. Nihil etiam refero de eius Dignitate Amplisſima. Ad maiora vocor.

Iudicis Mori ea fuit integritas, vt in eo officio fungendo, nihil apud ſe, inter amicum, & inimicum intereſſe, & verbis dicere ſoleret, & verò oſtenderet ipſis rebus. Expertus id Aegidius Heron Mori gener, qui, cùm iniuſtam litem inſtituiſſet, neque monitus deſiſteret, à Socero damnatus eſt.

Eumdem improbi, ac maximè hæretici, ſeuerum, ac moleſtum experiebantur: quod ita deſtinatò fiebat, vt Epitaphium ſuum ſcribens ipſe, tacendum id ſibi non putauerit. Memoriâ dignisſima ſunt illa eius verba ad amicum ſcripta: *Omnino ſic illud genus hominum* (hæreticos) *odi, vt illis, ni reſipiſcant, tam inuiſus eſſe velim, quam cui maximè: quippe quos in dies magis, ac magis experior tales* (: audi oraculum:) *vt mundo ab illis vehementer metuam.*

Religio eius, & Pietas in DEVM eiusmodi fuit, vt Religiosum Ascetam potius diceres, quàm Regni amplissimi moderatorem. Mitto frequentes eius orationes, & prolixas, vel domi, in destinato ad hoc Oratorio in intimis ædibus; vel in Ecclesiâ suâ Parochiali, in quâ, ad cætera illud etiam, raro exemplo addidit, quod album amiculum (superpellicium vocamus) indutus, canenti Sacerdoti concinebat, etiam tum, cum Cancellarij Regni munere fungeretur. In quo illud prorsus omitti non debet, quod ab inopinatò superueniēte Northfolciæ Duce, eo in habitu deprehensus, atque ab eo admonitus, non satis decorum id videri in viro eâ dignitate, neque Regi gratum futurum, si intelligeret; intrepidè respondit: *Domino meo Regi displicere non potest, quod ipsius Regis Domino obsequium impendo.* Constat, plures annos, intra Ecclesiæ limina, nullum vnquam prorsus cuiusquam admisisse colloquium, aut negotium. Contra hæreticos (: nam & hoc ad Pietatem vel in primis

primis ſpectat:) plus ſolus ſcripſit homo laicus, & vniuerſæ Reip. negotijs impeditiſsimus, quàm totus tunc Angliæ Clerus.

Ad Aulam, & honores, vel ipſo Rege teſte, inuitus acceſſerat. Et, quàm optârit deponere (obtinuit tandem, vt reipſa liceret deponere) loquuntur illa eius verba in Epitaphio: *Mortalium harum rerum ſatur, quam rem à puero penè ſemper optauerat, vt vltimos aliquot vitæ ſuæ annos obtineret liberos, quibus huius vitæ negotijs paulatim ſe ſubducens, futuræ poſſet immortalitati meditari.*

Dicerem de contemtu item diuitiarum, earumque in egenos liberali erogatione: de piâ, & verè Chriſtianâ liberorum, & familię inſtitutione, alijſq; huius Sancti Cancellarij virtutibus: niſi inſtituta breuitas illud potius moneret, vt talis vitæ qui tandem finis, quæ mors ſecuta ſit, indicarem.

Quamquam quid dicam, aut indicem? Cui ignota eſt illa Tragœdia Henriciana? Quis de illa audiuit, & MORVM

non animaduertit, in eâ & amplissimam personam sustinentem, & eam sanctissimè, prudentissimè, grauissimè, & (: verbo dicam :) Christianissimè, & vt Martyrem decuit, agentem? Testis Henricus Rex, cuius in DEI causâ nec authoritatem est reueritus, nec furorem: testes omnes Episcopi Angliæ (vno Ioanne Fischero Roffensi excepto) quorum ignauiâ inuicta animi fortitudine coarguit: testis ipse Fischerus, quem & Carceris, & gloriosi Martyrij socium habuit: testis vxor, & liberi, & nepotum turba, quorum caritatem præ suo officio, & DEI sui amore, neglexit: testis carnifex, à quo obtruncandus, maximum se beneficium accipere agnouit: testis sanguis & vita, quam pro pietate & veritate effudit: testis Cælum, quod victricem illam animam excepit. Testis denique DEVS, qui coronauit.

Coronatus autem Anno Domini 1535. 6. Iulij.

PAV-

PAVLVS QVARTVS, PONTIFEX MAXIMVS,

Italus, Neapolitanus.

ASSERTIO IVRISPER.

Io. Baptista Castaldus in eius vita, cap. 1.

Sacrorum Canonum, & CIVILIVM LEGVM *fuit peritißimus.*

BReuissimo compendio, in singulorum SS. Iurisperitorum rebus indicandis potius, quàm enarrandis, meo instituto, hactenus vsus sum. Quod si non fecissem, necessariò tamen in hoc faciendum esset, nisi Virtutum Iliadem aggredi mallem, quam vtique nunquam pertexerem.

Magnis natus, & bonis, maximus ipse, & optimus. Io. PETRVS CARAFA, à prima infantia vt se dignum erat, educatus, aliquoties Religioso Ordini Sancti Dominici nomen dare tentauit, vetitus à suis, à DEO videlicet ad id Serua-

tus, vt Religiosum Ordinem ipse conderet, vt post contigit, *Clericorum Regularium*.

Sed antè, omni liberalis, & sacræ litteraturæ genere, non obiter tinctus, sed altè imbutus, honores, quò quæsiuit minus, imo quò fugit impensius, eò assecutus est plures, & maiores. Pontifici Alexandro sexto à Cubiculo à Iulio secundo, Legatus ad Ferdinandum Castellæ Regem; ab eodem Episcopus renuntiatus: à Leone decimo ad Concilium Lateranense vocatus: ac deinde ab eodem in Angliam ad Henricum octauum Regem missus. In Belgium venit, rogatus à Margaritâ Austriacâ, Imperatoris Caroli quinti amitâ; In Hispaniam, inuitatus à Ferdinando Rege, cui à Consilijs fuit: ab Imperatore Carolo nominatus Archiepiscopus Brundusinus: à Clemente septimo P. M. Clero Romano, tollendis eius abusibus, Præpositus: à Paulo tertio, Cardinalatus honore donatus: denique Pontifex Maxim. post Marcellum secundum, fuit hic Petrus, ac nomine

ne mutato, dictus PAVLVS QVARTVS. Magna, omnino sunt ista (& quid vel in orbe, vel in Ecclesiâ Christianâ, maius Pontificatu Maximo?) sed tamen maius est, eos honores sic habuisse, vt ipse illos potius ornauerit, & in maius auxerit, quam ab ijs ornatus auctusve sit. Mitto cæteros Dignitatis gradus: de fastigio aliquid obiter tango.

*Ipso Pontificatus sui primordio, vidit pedibus suis aduolutos Anglicani Regni, nuper Hæresi, & fœdo schismate corrupti, nobilissimos Legatos, qui publicos errores, lacrymis perfusi, confitentes, & veniam, pacemque orantes, benignè alleuati sunt à Christianorum amantissimo Patre, & supra votum, omnium compotes, ad suos remissi.

Deinceps bellorum incendium inter duos Potentissimos Christiani nominis Reges authoritate, & industria admirabili extinxit.

Tum, pulsis Nepotibus, qui à recto, & Pontificis rectissima mente exerrabant; ad Vniuersalis Ecclesiæ incolumitatem

reſtaurandam, animum ſerio adhibuit.

Ac primum, omnis Religionis Baſin conſtabilire aggreſſus, Fidem, inquam, Concilium celebrare conſtituit, non alibi, ſed Romæ, vt poſſet ipſe coràm adeſſe, & præeſſe: adeò vbi Dei & Eccleſiæ res agebatur, non parcebat ſibi Senex propè octogenarius.

Libros cuiuſque nominis impietate infames ſeueriſsimâ lege latâ prohibuit. Non modo Hæreticos ſed & eorum fautores coërcuit. S. Inquiſitionis tribunal erexit, eique Palatium exædificauit.

Omnibus Chriſtiani Orbis partibus Hæreſin, quantum conſequi potuit, exturbare conatus, Germaniæ Epiſcopos quoſdam, datis litteris, grauiter reprehendit, quòd eo in negotio eſſent lentiores, aut frigidi præter æquum. Cùm Philippo ſecundo Rege Catholico egit, vt in Belgio, Inquiſitionis Iudiciū exerceretur, adeò propter Hæreticorum viciniam neceſſarium.

Meminerunt & Francia, & Hiſpania, & Anglia, & Polonia Pauli quarti eo in gene-

genere exercitatiſsimam caritatem, & induſtriam.

Neque neglexit Iudæos, Mauros, Turcas: ſed nos hac pagella omnia complecti vetamur. Videamus aliquid de Catholicis.

Epiſcopos gregibus ſuis adeſſe voluit. Cardinales non creabat, niſi moribus, virtute, eruditione eminentes.

Ordines Religioſos, vt fauore proſequebatur; ita in officio eſſe volebat.

Cultum Diuinum, qui DEO ſolemniter exhibetur, humanâ ſocordiâ vel collapſum, vel languentem reſtituit, aut excitauit.

Auaritiam, & ex ea ortos abuſus, ex Aula Pontificia exturbauit. Iuſtitiam, reliquaſque virtutes reduxit.

Et quid ſingula conſectamur? Vti ſanctus vixerat, ſanctus obijt: merituſq; eſt à Pio Quinto, Succeſſore nobilem Statuam, addita hac Inſcriptione:

PAVLO IV. CARAFAE *Pont. Max. Eloquentiâ, Doctrinâ, Sapientiâ ſingulari: Innocentiâ, Liberalitate, animi magnitudi-*

ne præſtanti: ſcelerum Vindici integerrimo: Catholicæ Fidei acerrimo Propugnatori, Pius Pont. Max. grati, & pij animi Monumentum poſuit. Vixit ann. 83. M. 1. Dies 21. Obijt 1559. 15. Kal. Septemb. Pontificatus ſui anno 5.

S. CA-



S. CAROLVS BORROMÆVS
S. R. E. CARDIN. ARCHIEP. MEDIOL. ITALVS, Mediolanensis.

ASSERTIO IVRISPER.

Petrus Giussanus, lib. I. Vitæ, cap. 3.

Aetatis suæ anno 22. Doctor in vtroque IVRE *creatus est.*

SAnctissimus hic Antistes, Seculi nostri miraculum: imo, qui paucos habuerit superioribus seculis pares; paucos ante annos cælestibus sociatus est; suntque etiam hodie, non modo qui cum illo vixerint, sed & qui & viderint, & familiariter cum eo egerint, quippe qui obierit 3. Nouemb anno 1584. Itaque possunt illi testari, fuisse verè hominem DEI, & de quo merito canatur illud è sacris Ecclesiæ ritualibus: *Non est inuentus similis illi.* Extant etiam eius Opera, tam-

tamquam aliqui fructus, inter alios, qui ostendunt, quàm bona fuerit Arbor. Extant & ingentia de eius vita Volumina: vt superfluum videatur, aliquid à nobis de eo commemorari.

Sed ne nihil planè dicamus, de eo, qui tot modis meretur, vt omnes de illo certatim & cum illustri præconio dicant: paucissima dicamus è paucis, quæ de illo dixit Franciscus à Fonte, Christianissimi Regis Concionator, in nobili opusculo, cui nomen, Responsio ad Quæsita magni cuiusdam Præsulis, de Hierarchia Ecclesiæ, & iusta tuitione Priuilégiatorum, & Religiosorum.

Cùm igitur quidam contenderent, S. Carolum, Mediolanensem Ecclesiam sanctissimis institutis ideo temperasse, & ornasse, quòd Religiosis ad hoc hominibus non vteretur: in eo opusculo respondet Author. Id quidem falsum esse, cùm constet eum vtrosque adhibuisse, & Seculares, inquam, & Religiosos: cæterum si daretur ita esse; alias longè esse causas, cur illa Ecclesia, S. Carolo mode-

moderante, ita floruerit. E quibus caussis, has ex eius vita petitas, commemorat.

1. Quòd vitam viuebat sanctam, & planè innocentem.

2. Perpetuò ieiunabat (etiam cum conuiuijs adhiberetur) ac plurimũ modico pane, & aqua contentus.

3. Sexaginta aureorũ millibus perpetui reditus annui vltro se in egenorum subsidium spoliauit, tam hilariter, quàm ista alij quærunt.

4. Canonicarum precum pensum, flexis genibus, aperto capite, quotidie persoluebat, lacrymarum vim fundens.

5. Eleemosynas supra vires, supra opes largiebatur.

6. Dirâ pestis lue laborantibus ipse aderat, & quæ erant corporibus, animisque solatia, indefessus ministrabat.

7. Pedibus Diœcesim perambulabat, & sedulus visitabat.

8. Sub purpura horrido cilicio amictus incedebat,

9. Pro lectulo illi erat vel dura humus, vel stramen nihilo mollius.

10. Sacras litteras, genibus flexis lectitabat, capite nudo, oculis ploratu manantibus.

11. Bis anno Exercitia ſpiritualia frequentabat, Patribus Societatis IESV dirigentibus.

12. Primus aderat, ſi quid boni patraretur, in templis, noſocomijs, ſacris concionibus.

13. Nemini vel ſacros Ordines, vel Beneficia Eccleſiaſtica conferebat, niſi ijs, quos diligentiſsimo examine, dignos deprehendiſſet.

14, Obijt in manibus P. Adorni, Societatis IESV Sacerdotis, cui conſcientiam ſuam perpetuò crediderat. Obijt autem, vt optauerat, IN CILICIO, ET CINERE.

Id accidit Anno Chriſti 1584. 3. Nouemb.

FRAN-

FRANCISCVS SALESIVS

EPISCOPVS GENEVENSIS, SABAVDVS.

ASSERTIO IVRISPER.

Iohannes de S. Francifco in eius vita Gallicè edita, libro primo.

Patauij curfum ftudiorum IVRIS *inchoauit feliciter.* Pag. 57.

Publicè IVRIS DOCTOR *pronuntiatus eft poft examen exactißimum, anno ætatis fuæ 24. à Præceptore fuo doctißimo Pancirola.* Pag. 66.

NObilifsima ftirpe editus FRANCISCVS SALESIVS, obfcurus tamen videri pofsit, fi lucem à maioribus acceptam, cum ea compares, quam illi Virtus, & Eruditio pepererunt. Quippe tanto vtriufque fplendore emicuit, vt non tam SALES, quàm SOLES dicendus videatur. Non SOL, inquam, fed

gemini

gemini SOLES Virtutis, & Doctrinæ, Orbes,& Cælorum,& Terrarum splendidissimè illustrantes. Et quidem *Doctrinam & Sapientiam* si Libri eius, nec pauci, & eruditissimi toti Ecclesiæ non deprædicarent; sufficeret testimonium eruditissimi Pōtificis ClementisOctaui. Is cùm Examini solemni interfuisset, quod Salesius, Episcopatum suscepturus de more in consessu augustissimo complurium eminentissimorum Cardinalium, aliorumque Antistitum, subierat; eum dimittens, eiusque humerum comiter palpans, verbis illis Sapientis vsus fuisse fertur: *Bibe aquam de cisternâ tuâ, & fluenta putei tui. Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide.* Prouerb.5.15. Videbat videlicet sapientissimus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus, diuinitùs inspiratus, eam esse in Salesio cælestis scientiæ copiam, quæ non ipsi modò in omnem vitæ vsum sufficeret: sed & in alios, qui frui vellent, perenni fonte scaturiret.

Scaturiuit planè, vel potius ingenti

alueo,

alueo, magni inſtar fluminis, inundauit. Quot ille hæreticos, peruicaces licet, & induratos, inueteratoſque, ad rectam Eccleſiæ Fidem reduxit! quot oues per teſqua, & deuia aberrantes, ad Chriſti ouile manibus, humeriſque ſuis pius Paſtor reportauit! quot ſanctos ſanctiores effecit! quot benè currentes celerius currere docuit! quot eius inſtinctu, mũdo valedicentes intra ſacrarum Religionum ſe clauſtra abdiderunt! Quinetiam Authoritate Apoſtolica ſacrum Virginum Ordinem ipſe inſtituit, quibus à Viſitatione nomen indidit: qui Ordo breui tempore, latiſsimè fuſus, fructum etiam ſpiritualem vndequaque diffudit.

Iam de eius *Virtutibus*, quis dignè aliquid ſcripſerit? Aliquid obiter de præcipuis tangamus. Tota eius vita perpetuum fuit Chriſtianæ *Humilitatis* exercitium. Morbum vide, quo extremo defunctus eſt. Fuit, qui moneret, vt cum S. Martino DEVM oraret, vt vitam ſibi prorogaret, ſi populo eius adhuc eſſet neceſſarius. Abſit, inquit, non tam ſum

mundo

mundo vtilis, vt magnã illam animam, ea oratione debeam æmulari. Mortem vide. Cùm plura essent Templa in vrbe Annesinâ, quod erat eorum minimum, elegit, in quo tumulari corpus suum vellet, idque in medio eius partis, quam Nauem vocamus, quò à frequenti populo perpetuò pedibus calcaretur.

Castitatis puritate fuit admirabili. Impudicas mulierculas, vltro ad flagitium inuitantes, Iosephi Patriarchæ, & Sancti Thomæ Aquinatis æmulator egregius, non semel reiecit: vnius etiam magis impurum, quam fucatum os impetu conspuit.

Sobrietas tum multa ei ieiunia imperabat: tum vt cibos viliores esitaret, omissis, etsi non deerant, delicatioribus cupedijs. Ad quas gustandas, si quis hortaretur, Nescitis, aiebat, mihi stomachum esse rusticanum?

De *Mansuetudine*, & conuersationis *suauitate*, quid dicam? Angelicam potius fuisse, quàm humanam. Animi impetus omnes, & quas vulgò *Passiones* vocamus,

camus, ita habebat in poteſtate, vt ad beatam illam Protoplaſti innocentiam redijſſe videretur. Nunquam irâ extra rationis terminos mouebatur: nunquam triſtitiâ opprimebatur: nunquam rodebatur inuidiâ. Rationem ducem in omnibus ſequebatur; & hæc Diuinæ Mentis ductum. Iniurijs adeò non opprimebatur, vt ne ſentire quidem eas videretur.

Eius Orationem, Meditationē, Contemplationem, libri ipſius, optimi teſtes oſtendunt. Non temerè reperias, qui ad tam celſum in his gradum peruenerit. Quod eò eſt mirum magis, quòd in Actione quoque perpetuò verſabatur. Legat, qui volet, eius admirandam Vitam: reperiet non modo Conciones, Exomologeſes, Aegrorum conſolationes, Hæreticorum conuerſiones: verum etiam Itinera, Conuerſationes & cum Plebe ſibi, vt optimo Paſtori, commiſsâ; & cum Aulicis, Principibus, Monarchis: quæ, quàm ſoleant rerum Diuinarum Contemplationes impedire, valdè imperi-

peritus sit, qui non videat. Hunc tamen Sanctum Presulem nec minimum remorari potuerunt, quò minus & in perpetuâ cælestium considerationum fruitione acquiesceret; & quam hic tam feliciter cœperat, felicissimè ipsis cælis inferret, *inebriandus ab vbertate Domus* DEI, *& torrente voluptatis eius æternum potandus.*

Migrauit 28. Decemb. Anno 1622.

FINIS.

INDEX




INDEX LITTERARVM ORDINE.

IN-

INDEX NATIONVM.

ITA-

IN-



INDEX DIGNITATVM,

VEL SACRARVM, vel Politicarum.

Cassio-

IMPERATORES REGES, PRINCIPES.

ALII LAICI.



INDEX,

Quo variæ Functiones horum SS. Iurisperitorum, per Classes indicantur.

LEGISLATORES.

IVDICES.


ADVOCATI.

Elzea-

NOTARII.

IVRISPERITI,
generatim.

Tales reliqui omnes, quos certis functionibus non comprehendimus.



KALENDARIVM,

Quo menſes & dies indicantur, quibus ſinguli hi Sancti cælum petierunt.

MAIVS.

IVNIVS.

IVLIVS.

AVGVSTVS.

SEPTEMBER.

27.

OCTOBER.

NOVEMBER.

DECEMBER.

FINIS.

LICENTIA R. P. PROVINCIALIS.

EGo infrascriptus, Societatis IESV in Gallo-belgica Prouincialis, facultatem concedo, vt Elogia quinquaginta Sanctorum Iurisperitorum à R. P. IOANNE ROBERTI eiusdē Societatis composita typis mandentur. In cuius rei fidem has manu propriâ subscriptas, & officij nostri Sigillo munitas dedi Tornaci 19. Februarij 1632.

IOANNES LOBBETIVS.


ABS-QVE. LA
BORE. NIHIL.

